


in sollicitis
nostris
missis
ad
meli
6. 3. ~~1~~
hijem huius m
est in isto con
silio in sepech s
h. penit
nito et a
n. etiam tan
as obtemper
fro. Precept
conspicere
et. His etiam iste
et. nomen precep
recepit et
recepit et
et. et. et. et. et.





CISTERCON



Liber B. MARIAE in Paradyso

DRVEN

TIA

SERENISSIMI
JOHANNIS CASIMIRI
POLONIARVM SVÉCIAEQUE

PRINCIPIS Eng. fl. 4.

CARCER GALICVS

Euerhardo ab Wassenbergio

Conscriptus
Gedam apud Georgium Försterum

anno 1644

8765/66

229147 j



Ant. Nauk
Kraków, Stare.

10. 6. 66. 1.000,-

h. f. 32 s. 256.

INVICTISSIMO, POTENTISSIMO,
FERDINANDO. III.
IMPERATORI, CÆSARI, AUGUSTO:
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c.
REGI;
PATRI PATRIÆ, PIO, FELICI,
VICTORI;
BONO REIPUBLICÆ NATO.
IMPERATOR, CÆSAR, AUGUSTE.



Nnus, post Christum natum,
M. DC. XXX. & V. vix adoleverat,
cum, ex Authumnali Victoria præ-
cedentis, & virtute, fortitudine, &
felicitate Tua insolenti, (quâ unâ, Tibi uni-de-
creto Superum, reservatâ, Magne Cæsar, Maxi-
mus Imperator, magno hoste, ad Danubium,
triumphato, trophya nostro summo Jovi vi-
ctor dedicâras) multos gaudium, plures me-
tus, stupor Orbem lacinaret: Cum admirâ-
trix Tui diversa mens, in nihil medium, nil
remissum, sed, vel amoris, vel invidiæ, vel odij
intensissimi, extrema omnia, diversa per terra-
rum & affectuum, distracta, hinc Serenissimos

Meridie, ad ~~Th~~ DEDICATIO adversum, ab
Polonię Italięque Principes, à Septentrione &
Meridie, ad Tua castra; inde, in adversum, ab
Occidente, nova mole, novis viribus, Regna
Integra, cum iam labentibus, commoveret.
Sed his, coadunatis licet, Tuis auspiciis, trans
Rhenum & Mosellam actis, ut tum non pro-
cul, ad flumen Patrium, & Majestatis Tuę præ-
sentiam, deficiebant, sic livore magis, odioq;
suo, in Te, Tuosque, Tibi etiam militantes, in-
valescebant. Hinc post triennium adhuc (adeò
pertinax malum hæserat) hic Serenissimi Ami-
tini Principis, Carcer Gallicus, hinc Salona, hinc
Cisteronum, hinc Vincenna, & ea nomina, &
ea omnia, quæ nunc Tuę, summæq;, in ter-
ris, Majestati, ad considerandum, an impro-
bandum, repræsentō. Libeattamen, magne Cę-
sar, hac in parte, etiam devotionem meam non
dedignari, & saltem, uel libata oculis, sublimi
in Cæsareę mentis Tuę judicio, ad modicum, di-
spensare, quibus non minus, quam armis suis,
in magnitudinem Tuam jugiter obliqui ho-
stes, per Amitinum Principem, vano molimi-
ne, præsumentes, Virtuti Tuę, famæq; suæ,

DEDICATIO.

succubuerint. Vide semel, placatus semper,
etiam ad hunc furorem hostium Auguste , &,
ex alto clementię & Majestatis Tuæ, non fecus,
ac sublimis ille, & immotus rerum arbiter,

Qui, celso positus loco,

Infra se videt omnia,

undiq, & modis omnibus, assilientes, & mox,
in exitium sui, resilientes, immitum tempesta-
tum fluctus, & procellas, despice. Effulgebit, ex
adverso, hæreditaria illa Tua, summo illi, mode-
rato, ac benigno Sideri, conformis virtus, &, ad
hæc inordinata rerum, magis elucescat. Pene-
trabunt ultra, gratiosæ serenitatis Tuæ radij, &,
ex intervallo, potentius agentes, eorum oculos,
qui te tam Augustum dolent, Augusto jubare
percellent. Sequuntur arma, Magne Cæsar, quæ
jam pridem, hac in parte, prostratis, victis, de-
bellatis hostibus, clementia præivit, & tan-
dem, Pontum & Euphratem ultra, ibi Cauca-
sum, alibi maria complecteris. Sic voveo,

Sacra Cæsareæ Majestati Vestræ,

Eternum devotus,

Everhardus Wassenbergius
Embricensis,

VLADISLAVS IV. Dei gratia,
Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniae, Russiæ,
Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensiæ,
Czernichoviæque; Nec non Suecorum, Gothorum,
Wandalorumque, hæreditarius Rex.

Significamus præsentibus litteris Nostris, quorum interest,
Universis & singulis. Quia Nos commendatam habentes spectabi-
lis ac eruditæ viri EVERHARDI WASSENBURGII sy-
li elegantiam, scribendæ facilitatem, & peritiam magna rerum experientia
& eruditione comparatam, quam nuper libro gestorum Nostrorum in lucem
edito comprobavit, præstandam illi gratiam nostram putavimus, annuendo-
que petitioni ipsius, ad intercessionem Consiliariorum Nostrorum, inhiben-
dum esse duximus, inhibemusq; præsentium litterarum nostrarum vigore,
ne quis opera ipsius, non tantum que edidit & promulgavit, sed etiam que in
posterum editurus ac promulgaturus est, absq; consensu authoris, intra decur-
sum viginti Annorum, in quaunque littera, lingua, & forma, imprimere pre-
sumat, vel alibi impressa, in Regno & Provinciis Nobis subjectis, venum ex-
ponere audeat; sub pena confiscationis librorum, & mille insuper aureorum
Hungaricalium, per Instigatorem nostrum, jure nostro Regio emonendorum:
Cujus medietas Fisco nostro, medietas vero authori memorato cedere debebit.
In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo Regni nostri com-
muni mandavimus. Datum Varsavia die XXXI Mensis Martij, Anno Do-
mini M. DC. XLI, Regnorum nostrorum Poloniae & Sueciae IX.

Vladislaus Rex.

Locus
Sigilli

Jacobus Maximilianus Fredro
Regens Cancellariæ minoris.

AD LECTOREM.

BEllum flagrans, ceu contagio quadam publica, quæ sine distinctione obvia populatur, etiam innocentes corripit. Cum enim vel ira, vel odio, vel ambitione (quæ omnia, densa diversissimarum opinionum caligine, rectæ rationis aciem offuscan) zelosius agatur, cæco impetu in adversa, vel apertos hostes, vel dubios, vel innoxios etiam non paucos fertur; cum sanctum illi nihil, aut syncerum, sed prava pleraque, suspecta omnia videantur. Quod ut omnis, sic vel maxime tamen hujus ævi nostri bellis (quibus omnia, cum Europeæ Regnis omnibus, in præceps, confusionem, & pernicem, suam & alienam, iure) patuit. Sed non hic mihi animus fastidiosas fordes, quas arma jugiter, ceu è nimbo præcipites & luculentri rivi, una rapiunt, sistere & ruminare. Fluant illæ, via libera, in suam istam Mavortiam, fæditatis vastæ, Cloacam, & inde tandem, ne olim valeant in exemplum, in Lethen fluvium exonerentur. Ut enim pessima quæque erat melius nunquam contigisse, ita satius (quod huic proximum) videtur, statim, postquam contigerunt, si possibile, oblivionis fluctibus sepeliri. Illa tamen, quæ viros Principes (qui famam semper, qualcumque meruerint, magnam habituri sunt) concernunt, ut, à nominis & personæ majestate, velut ultro, ad posteros & æternitatem eunt, sic in Historiam, bono publico, jure segregantur. Inest enim illis, aut agentibus, aut patientibus, sacrum & potens aliquid, quod ab ipsa reverentia, quæ ipsorum Celsitudini debetur, altius humanos animos penetrat afficitque. Hinc est quod ego nunc Serenissimi JOHANNIS CASIMIRI, Poloniarum Sueciæque Principis, captivitatem Gallicam (inter sanie, quam hujus temporis fudere bella, non minimam; quæque tantum fabu-

bularum nuper, justane an iusta esset, Mundo præbuit) in hoc
theatrum terrarum Orbis, ad cautelam aliorum Principum, sty-
li beneficio, reducam. Ut autem, ex fundamento, & comperta,
candidè referenti, fides adhibeatur; quæsitis anxiè aut scrupulo-
sè verbis, non sollicitè labore. Hanc enim vis & amor nudæ
veritatis, maxime apud illos qui Scenas ipsi in hoc actu exhibue-
runt, facile conciliabit. Accede ergo, sed affectu vacuuus,
prudens & benigne lector, & ipse etiam, hac ubi
legeris, de summarei, haud magnone-
gotio, judicabis.

Hoc unum est, quod te regem, ut nimirum, cum infra ad mentio-
nem Principis Palatinæ veneris, Carolum Ludovicum, non Robertum,
legendum recorderis.



SERENISSIMI
JOHANNIS CASIMIRI
Poloniarum Sueciæq;
Principis,
CARCER GALLICUS.



SIGISMUNDUS Ter-
tius, gloriösæ memoriae,
Poloniarum Sueciæque
Rex potentissimus, ut
ætatis longæ, & regimi-
nis, quadraginta & ali-
quot annorum, reve-
rentia, reliquis Euro-
pæ Regibus, venerabilis; sic numerosæ etiam
prolis benedictione, felix fuit. E duabus enim,
ANNA, & CONSTANTIA, Austriacis, FER-
DINANDII. Imperatoris, sororibus germa-
nis, duodecim liberos suscepit; qui tamen
omnes fere, variis casibus, tandem cælo recepti,
melioribus Regnis animam crediderunt. E su-
perstitibus vero duos maxime, quorum virtu-
tem, prosperis vel adversis, variè experiretur,
VLADISLAUM SIGISMUNDUM, &
JOANNEM CASIMIRUM, Principes, For-
tuna reservavit. Quippe CAROLUM FER-
DI-

*Sigif. II. nu-
merosa pro-
les, hujus
mors aut for-
tuna.*

JOHAN. CASIM. PRIN.

DINANDUM, & ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Principi, PHILIPPO GUILIELMO nuptam, ita vicissitudinibus non irritavit, ut magnitudini & virtuti suæ, quasi de industria, reliquise videatur. In illos autem quid non insolentiarum exercuit? quomodo non successibus præsumpsit? In unum quicquid apud Turcas, Moscos, Tartaros, totumq; fere Septentrionem & Orientem, virium erat, tanto impetu illisit, ut & comminutæ, & in exitium suum resilientes, infractum Sarmatiæ Regnum, invictæ fortitudini & prudentiæ triumphantis, moderandum, quæsita pace, relinquerent. In alterum vero, fraternorum licet periculorum victoriarumq; participē, paulo gravius tamen incubuit, sic ut Regium ejus quoq; sanguinem, & morbis, & infortuniis, & prædonibus, & cognato tandem carcere coarctaret. Sed æstuariam illam fortunam novimus, quæ, secunda, gloriose vehit, adversa, vel sterilibus arenis, vel procellis undantibus involvit. Verum enim vero, quoniam VLADISLAI IV. successus maximos fusiori panegyrico nuper prosecuti sumus, nunc quoq; JOHANNIS CASIMIRI Principis

cipis magnæ metamorphoseos occasiones,
quæ ad rem non parum faciunt, paulo altius
repetamus.

Hic Princeps, à partu Virginis, Anno 1609,
22 Martii, Cracoviæ natus, statim à puerili-
bus annis, probis & eruditis præceptoribus, è
societate Jesu, à serenissimis parentibus suis
traditus, præter humaniores litteras, Philo-
sophiam etiam & Mathematicam, facili certe
ad omnia ingenioq; felicissimo, absolvit. In-
de, paulo adultior, primum adolescentiæ flo-
rem, & equestribus exercitiis, & eximia equi-
tandi, saltandi, tractandiq; arma, tum pugi-
lum, tum militum more, peritia commenda-
vit. Tandem etiam, annum ætatis vigesim-
um ingressus, togam sagulo commutans,
prima militiae rudimenta, Anno 1629, sub
auspiciis, ductu, & oculis Paternis, contra Do-
mus suæ hæreditarios hostes Suecos, in castris
ad Mariæburgum, posuit. Mox vero succe-
dentibus, eodem anno, sex annorum indu-
ciis, & Serenissimo parente Sigismundo Ter-
tio, Anno 1632, 30, Aprilis, è terrenis ad cæle-
stia regna migrante, ejusdem anni mense
Novembri, cæteris Fratribus suis stipatus, in
publicum electionis locum prodiit, ac coram

*Nativitas
Job. Casim.
Princ. pueri-
tia, & ado-
lescentia.*

toto conventu Senatorum, & tot mille nobilium, oratione elegantissima, qua summam sibi laudem in Sarmatia meruit, Vladislai electionem suasit. Qua electione & coronatione solenniter & felicissimè peracta, cum Serenissimo jam fratre Rege Vladislao IV. in Schinum, & fœdifragos, ad Borysthenem in Oriente, Moscos, progressus, suæ potissimum legionis subsidio, jam fere ad extrema, decem mensium obsidione, redactos Smolenscianos erexit, &, iisdem in castris, summus vigiliarum præfectus, à fratre Rege creatus, & strenue munus implevit, & tandem, obfessoribus obcessis, vicit, & ad pedes usq; Regios humiliatis, pars fraternali victoriæ gloriaq; fuit.

In gravem morbum incidit. A Borysthene ergo, cum triuinphali fratre, & exercitu victore movens, in Russiam, Turcas, & Amurathem perrexit. Sed Mur-tazio Bassa, summo exercitus Ottomannici præfecto, ad saniora consilia pacis reverso, ipso interim, cum fratre Rege, Leopoli com-morante, in morbillos gravemq; morbum incidit; sic ut à medicis desperatus, non nisi vo-to Divæ Virgini nuncupato, quasi ope cælestium, convaluerit. Et tum quidem singula-re

CARCER GALICUS.

rem Virginis auxiliatricis in se opem agnoscens, vix firmata adhuc valetudine, publicè, in templo Carmelitarum, sacrum audiit, &, ante communionem, tabellam auream Georgii Lejeri, è societate Jesu, confessarii sui, celebrantis manibus consignans, per eundem, magno spectantium omnium pietatis sensu, ejusdem Deiparæ virginis, imaginis appendit.

Libet hic & Divina Judicia & spem mortaliū diversam admirari. Redierat eo tempore, ut primam militiā pia in Turcas & infideles expeditione consecraret, ex Italia, Princeps Alexander, in dōle, moribus, & omnium expectatione vere magnus. Hic vero, pace, opinione celerius, ob solam formidinem hostium, firmata, cum ægrotanti Johanni Casimiro fratri, Varsaviam cum Rege redditurus, valediceret, præsente ægro, pridie sui discessus, umbraticos Iudos (quorum & ipse pars erat) instituit; adeoq; sibi umbrisq; suis præluisit. Discedens enim, post dies aliquot, iisdem morbillis, in itinere, correptus, in ignobilis pago, & quidem, ut notatum, eodem die, quo, ex eadem causa, eorumdem Principiū frater Johannes Albertus Cardinalis, Patavii in Italia, devixit.

Alexandri
Principiū
mors.

*Johannes
Casimirus
Princeps ad
Imperat. &
castra Cesa-
riana disce-
dit.*

Johannes Casimirus interim, valetudine in vigorem pristinum firmata, Moscis Turcicisq; à Vladislao fratre data pace, à Borysthenie & Tyra, ad Istrum & Imperatorem Ferdinandum, Anno 1635. Mense Januario, perrexit; à quo summa lætitia, tanquam Avunculo, suscepitus, & ad militiam, & Electoris Maximiliani Bavari, ejusdem Ferdinandi Mariam Annam majorem natu filiam ducentis, nuptias invitatus est. Quare Princeps, ut melius, in utrumque paratus, compareret, in Poloniā à Cæsare, & post trimestre, ex Polonia, ad Cæsarem rediit; & mox, absolutis nuptiis, ad castra Imperatoris, sub Vormatiā & Francofurtū (ubi tunc temporis, post Nordlingense prælium, Galli Svecis mixti, sub Bernardo Saxone Vinariensi, bellum inter & fugam tumultuabantur) properavit: Cui, à Mathia Gallassio, summo tum Cæsariani exercitus præfecto, Lutershemiana legio equitum, honorifico titulo, ceu ad custodiā corporis, data est.

*Ejusperi-
culum.*

Ille vero, ut magnorum Principum generosæ indolis genius est, periculis etiam velitationibus non abstinuit. Et prima quidem vice non infeliciter, cum, recedentibus

in

CARCER GALLICUS.

in Galliam hostibus, postrema agmina, sua-
potissimum legione, turbavit. Dum vero al-
tera vice, sub Merodio Duce (qui cum tribus
millibus equitum, duodecim Gallo-Sueco-
rum millia, audacter satis lacesiverat) fero-
cius instaret, in vitæ non modicum discrimen
incidit. Totus enim Sueco-Gallorum exer-
citus, subito versa fronte, sic, imminentes, re-
pentet terruit, ut fugæ principes, à subsequen-
tium numero, per abruptos colles, & præci-
pitia minus prævisa, in Mosellam agerentur.
Delerit tunc, cum omnibus suis, Merodium
potuisse, nemo dubitavit. Nam proculexer-
citus & cis fluvium erat, quin &, à fugienti-
um insperato nuntio, consternatus. Sed Gal-
lo-Sueci, horum omnium, quæ apud Cæsaria-
nos agebantur, ignari, contenti repulisse ho-
stem, securius fugam, in Mediomatrices, ma-
turabant. Quod tum etiam Principi, inter
primos pugnæ, fugæ ultimos, saluti fuit, &,
præter submersos, paucos inter occisos, pau-
cosque captos, dampnum stetit. Male profe-
cto sentiunt, qui fugientibus arma, non etiam
animos, semper adesse credunt. Cum enim
& hic contrarium, &, diversis occasionibus,
sæpe id exitio fuisse victoribus videamus, in
eorum

corum sententiam adducor, qui quandoque pontem aureum recendentibus texnendum judicant.

*Argento sua
denuo poti-
tur.*

Cæterum, ut belli Ducibus illa relinquamus, cum in tragicomædia velut simus, id quod lepidum hiac in fuga, & cum asino quidem contigit, non omitto, ceu interludium, non absque omni ratione tamen, commemorare. Vehebat hoc pigrum animal edulia, in eventum præparata, & argentea vasa ejusdem Johannis Casimiri Principis: in ipso autem fugæ æstu, dum quisq; suæ tantum saluti consulit, jam solus asinus, sui juris factus, nihil præter solitum consternatus, serius, & non nisi trajecta Mosella, jam salvis omnibus, imminentem venit. Et, ne vasa argentea, insignibus Principis munita, successus gloriam hosti adderent, placuit indagare. Sed brutum animal, jam inventum, in tanto discrimine rerum, magis contumax, non flagris, non explosionibus, non aliorum fugientium exemplo motum, per avia, & invia, suo passu, in Mosellam se præcipitavit, mersaq; sarcina, liberum in amicum littus, cum risu omnium, evasit. Gallo-Suecos autem, ne demersa in Mosellam curiosè quærerent, submissi à Gallassio Sclo.

Sclopetarii arcuerunt. Et sic suo Princeps a-
fino argentoq; denuo potitus, né spolii qui-
dem, eatenus à se rapti, gloriam hostibus re-
liquit.

Verum enim vero Sueco-Gallis jam ex
ex Imperio Romano, trans Rhenum & Mo-
sellam, usque Metas, & penitorem Galliam,
fugatis; Authumno prono, Gallasio in hyber-
na recedente, Johannes Casimirus Princeps,
cum Ferdinando, tunc Hungarorum & Bo-
hemiarum Rege (qui, post Nordlingensem victo-
riam, Udenhemiarum, seu Philipsburgi, ludis
equestribus, Choreis, tripudiis, flammisque
fusilibus, tribus fere mensibus continuis, qua-
si triumphaverat) Viennam, Vienna in Polo-
niam rediit. Ibi autem, cum vigintisex an-
norum inducias cum Suecis coaluiisse, cau-
tum insuper reperisset, ne ullus Poloniarum Prin-
cipium, interea temporis, de Suecia hæredi-
taria litem aut bella moveret, suasu pruden-
tium, né ullo modo Suecis, rumpendifœde-
ra cum Polonis, daret occasionem, bello Ger-
manico renunciavit; postquam non amplius
uno mense, in castris, sub Cælare, militasset.
Et hic bellorum Principi Johanni Casimiro
finis.

*In Poloniam
revertitur.
& militia
valedicit.*

*Proponit iter
Hispanicum.*

Cum ergo jam, singulari favore cœlesti-
um, tum virtute, fortitudine, & fortuna Vla-
dislai IV. territis, aut fractis, aut humiliatis
hostibus, tota Polonia, à Balthico Mari ad
Pontum Euxinum, à Valachia ad Pomerani-
am & Romanum Imperium, à Cargathiis
montibus ad Moscoviam & nemora Mosco-
vitica, pacé frueretur, nec bello se Suecico
jam immiscere volens, cognatorum etiam ar-
ma abominaretur, Johannes Casimirus Prin-
ceps, tandem in Hispanias proficisciendi ani-
mum cœpit. Tum ne otio domi plebejo deli-
gesceret, & tantum yenationibus, quæ (ut ple-
rumq; satietas rerum omnium est) nimio pl^o
exercitæ, & valetudini, rebusq; seriis, non
nunquam officiunt, indulgeret; tum etiam, ut
Philippum IV. Hispaniarum Indiarumq; Mo-
narchiam consobrinum suum inviseret; demū
quoque, eadem occasione, hæreditatis suæ ju-
ra, in Ducatum Barrensem & Comitatum
Russilionensem, in Regno Siciliæ cisPharum
seu Neapolitano produceret, & ea, quæ de
jure & justitia ipsi competere videbantur,
præsens facilius obtineret. Harum enim di-
tionum, per Reginam Bonam Galeaciam, ad
Catharinam Aviam, hujus & Sigismundi I.
filiam,

filiam, Augusti sororem, devolutarum, plenariam possessionem, huc usq; dilatā, quamvis jam à seculo fere & Carolo V. promissam, tandem anhelabat.

Itaq; Vladislao Fratre ab hoc proposito ejus non abhorrente, tredecim Nobilibus asumptis, Anno 1636, mense Julio, superato mari Balthico & Frisia orientali, Provincias confœderatas intravit, ut per eas Oceanum experiretur, & navigiorum beneficio, in Hispaniam navigaret. Sed tum, peste universam Bataviam fædius populante, & in limitibus, à latronibus infestatus, à suis, qui periculo eum subducere tenebantur, ulterius progredi non permisus, per mare Balthicum in Poloniam reversus, ad tempus aliquot, licet propositi sui tenax, iter distulit.

Etenim Vladislaus Rex, huc usq; cælebs, vaga & errantiavota, per Domus Principes, in Austria & Austriaca Domo tandem, apud Cæsarem, & Ceciliam Renatam, fixerat. Ad quam, ceu pronubus & paronymphus, Princeps, cum maximo splendore, missus, inibi, nomine Regis, matrimonium contraxit, &, solennibus peractis, Ceciliam Renatam, Po-

*Ex Polonia
discedit, &
revertitur.*

*Ceciliam
Renatam in
Poloniam
deducit.*

Ioniæ in Reginam, sibi in Fratriam, Fratri in conjugem, adduxit.

*Iterum ad
iter Hispani-
cum se pra-
parat.*

Cæterum, nuptiis ea magnificentia, quæ terrarum orbi stuporem illideret, transactis, majore animo, Princeps, ad iter Hispanicum, reversus, cum Septentrio non cessisset, Meridiem statuit experiri. Præsertim ut nobilissimas ejus nationes simyl, cultu Dei, litterarum nitore, & morum civilitate celeberrimas, visitaret. Ad hoc, ex Polonia, per Moraviam, Austriam, Tirolensem Comitatum, ditionem Tridentinam, & Italiam, in Hispanias & Madritum, iter direxit. Ex Hispaniis autem & Occidente, per juga Pyrenæorum montium, in Gallias Lutetiam Parisiorum, ut Christianissimum Regem, & Reginam, tamen arcto sibi sanguine conjunctam, salutaret. Inde in Lotharingiam, Hispano-Belgium, & Bruxellas iret; Londinium in Angliam, ex Anglia in septem fæderatas Provincias navigaret. Quibus per Iustratis, per Alpes rursus, & Tellinæ valles, in Italiam penetraret; eaque nobilissima totius Europæ prævincia peragata, liminibus Apostolorum visitatis, summoq; Pontifici filiali obedientia delata, tandem, per superiorem Germaniam; Monachium,

Augu-

Augustam Vindelicorum, Ulmam, Argentoratum, Spiram, Vormatiām, Moguntiacū, Treviros, Confluentes, Coloniam Agripinam, Francofurtum ad Mānum, Heribopolim, Noribergam, cæterasq; Imperii Romano-Germanici urbes, in Poloniā reverteretur. Cujus tantæ peregrinationis spatium triennio integro circumscribi debuit.

Quod propositum sui Principis, Johannes Carolus Comes à Konopat, tunc Abbas S. Mariæ de Cameona in Vocosco, post autem electus Princeps & Episcopus Varmiensis, cum intellexisset, se ultro, libens lubensque, totius itineris illius comitem adjunxit; &, cum se Sigismundi Patris, Vladislai Fratris, invictissimorum Poloniæ Regum, totiusq; inclitæ Familiaæ Regiæ, devotissimum, & ad obsequia paratissimum, semper professus esset, nunc quoq; ætatem, valetudinem, & substantiam suam prompte obtulit. Eo liberius etiam, ut, in congressu cum Galliarum Rege, patrocinio singulari Principis subnixus, prætensiones justas, nomine Illustrium Familiarum, Crockoviorum, Konopatsciorum, Kostkorumq; Regi Christianissimo explicaret, & chirographum Henrici IV. Gal-

*comes Kono-
patcius illi
ut legatus
Regius ad-
jungitur.*

liarum & Navarræ Regis, parentis Ludovici
XII; & Condæi, Sanguini primi Principis;
& Chastillionæ Ammirallij Franciæ, mani-
bus subscriptum; quin & Matri Henrici IV.
Reginæ Navarræ, Dominæ Johannæ Albre-
tanæ, manu rescriptum, ejusq; manu signa-
tum, & sigillo munitum, produceret, sum-
mamq; trecentorum millium thalerorum
Imperialium, Familiis supra nominatis jure
justeque convenientem & competentem;
authoritate Johannis Casimiri Principis in-
tercedente, facilius impetraret. Cum enim,
occiso Henrico III, Henricus IV, tunc tem-
poris Navarræ Rex, sed in Calvinismum la-
psus, à corona Galliæ, cuius alias legitimus
hæres erat, ut hæreticus lege Salica (quæ Re-
ges tales ad sceptrum non admittit) exclude-
retur, & ille, vi & armis, adversantibus extor-
quere constituisset, bellicosissim⁹ vir Reinholidus Crockovius, (superstitum etiamnum Il-
lustrium, Gneomari Reinholdi Præfecti Leo-
burgensis, Joachimi Ernesti Sac: Cæsar. Mtis
sumi vigiliarum Præfecti, Martini Duringhii,
vice Tribuni, Matthiæ Reinholdi, & Ernesti
Crockoviorum Avus) mille quingentos cata-
phractos equites Germanos, propriis impen-
sis

sis collegit; loricis, galeis, armis, equis, ad statariam pugnam fortibus, generosis, & im-
petum etiam numerosissimum excipientibus,
instruxit, & Henrico Regi in subsidium ad-
duxit. Inde strenue integro triennio milita-
vit, eoq; toto tempore, non suis tantum, sed
Kostkorum etiam, & Konopatsciorum, pe-
cuniis subnixus, de equis, armis, vestibus
providit, & debita stipendia integrè nume-
ravit. Hinc, rationibus discussis, summa illa
trecentorum millium Imperialium excre-
vit; quorum solutionem, huc usq; dilatam
(cum tamen Caſimiro Bipontino Duci Cal-
vinistæ, eadem ratione tunc temporis mili-
tanti, à Thesaurario Galliæ Duce Silio, ejus-
dem sectæ viro, ritè in omnibus satisficeret)
nomine omnium ut repeteret, hic Konopat-
scius nunc, ut dixi, Poloniæ Principi se adjun-
xit. Prudentissimus autem Vladislavus Rex,
qui singulares hujus viri virtutes, pruden-
tiā, & experientiam rerum omnium magi-
stram, noverat, perspectasq; illi cultissimas
Europæ Provincias non ignorabat, ultroneum
eius zelum in occasionem arripiens, suum
eum, ad Hispaniarum Regem, legatum fecit;
tum ut cum majori authoritate comitaretur;

tum

tum etiam, ut Fratri Principi esset, quod simili occasione, sibi, ante annos aliquot, Albertus Stanislaus Dux Radzivillius fuerat, & Princeps, ubi nosci nollet, sub ejus persona, amplitudine, & legationis reverentia, lateret.

*Incognitus
discendere
constituit.*

Hoc enim in primis Principi constitutum erat, hac in parte, Vladislauum Regem Fratrem, qui, Anno 1624. & 5, idem fecerat, sequi & æmulari. Præsertim cum ratio & iniqitas temporum etiam (quibus Europa omnis, nisi qua Sarmatica, Cimbrica, & Britannica erat, dissensionibus, & bellis astuabat) non aliter suaderet. Tunc enim diffidentia, suspiciones, & temeraria, de plerisq; rebus, judicia, simul nimiumq; regnant. Ad quæ omnia subterfugienda, non latere tantum, sed minori etiam itineris apparatu, paucisq; comitibus, institutum iter, peragendum videbatur. Non deerant aliæ etiam rationes, quæ Principem hoc movebant. Nimirum ut commodius, ignotus ipse, visu digna lustraret, periculum prostitutionis fugeret, & præparatos ubiq; plausus, concursus, oculos, hominum evitaret. Quippe ad Regii sanguinis Principem noscendum, occulto quodam instinctu, non tantum minoris populi

puli & vulgi, sed cultiorum etiam nobilissimorumq; virorum studia excitantur; sic ut officia, obsequia, & devotionem suam, Principibus tam alto sanguine cretis, deferre sollicitate contendant. Quibus si Princeps incumberet, cunctisq; sese patefaceret, non trans-euntis, & ea, quæ notatu digna sunt, observantis, sed tarde & cum molestia progredientis speciem præferret. In has molestias autem, & variarum cæremoniarum anfractus, ne impingeret, primum illius votum erat.

Quamobrem Johannne Carolo Comite Konopatscio Legato Regio, Ferdinando Miskowski Marchrione Gonzagæ (qui ultro etiā pro toto hoc itinere, Principi se adjunxerat) Comitibus. Georgio Lejero soc: Jesu Presbytero confessario suo, viro gravi, docto, verèq; Germano; qui Varsaviæ Germanis etiama pupillis, sumptibus ad hoc à Domo Regia fere impetratis, hospitale S. Bennonis fundavit, erexit, & dotavit. Gothardo Wilhelmo Buxlero supremo Cubiculario, nunc Capitaneatum, præfecturarum, & totius œconomiae ejusdem Johannis Casimiri Principis Administratore: tum & Sac: Cæs: & Sac: Reg: Maj: Pol: & Suec: cubiculario.

*Parvo comiti
atu Varsa-
via discedit.*

Theodoro Dönhoffio. Samuele Opatscio.
 Henrico Korffio. Adamo Zulovio.
 Andrea Kotovicio. Philippo Pirago.

Cubiculariis.

Tum & Andrea Basio Secretario suo, nunc
 metropolitanæ Ecclesiæ Varmiensis Canonico:
 Johanne Felverio Doctore nunc etiam S.
 R. Mtis Medico; & (Matthia Rembowski
 ordinario Thesaurario, ad rem œconomicam
 procurandam, & transmittendas pecunias in
 Polonia relicto) Johanne Heppen in Thesau-
 rarium electo: Aulicis etiam & Nobilibus Ba-
 silio de Bassonet Belga Transsilano, non pro-
 cul Swolla oriundo, & Reinholdo Lukowski;
 prout & quibusdam aliis ad obsequium ne-
 cessariis, numero triginta sex, jam vergente
 hyeme Anno 1638. 27. Januarii, Varsavia, nec
 bono tamen omne, discessit. Quippe ad
 Principem, dum jam in procinto esset, Astro-
 logus irrepuit, & à Gallis, hoc in itinere, cave-
 ret, monuit: Ego licet hoc genushominum
 contemnam, nec magis illis quam Thalmu-
 distis, aut Alcorano credam, tamen quia nunc
 prognosticon hujus casualiter seu ex arte,
 eventus commendavit, omittendum non ju-
 dicavi. Princeps certè tunc quidem, ut ho-
 mi-

minem, sic verba ejus, etiam neglexit, quæ nec ante, quam in carcere, præterita; ut sit, & supervacua volventi, cum stupore, & non-nullo pondere, in memoriam redierunt.

Princeps ergo in Poloniæ finibus, pro felici itinerè, cum adorasset, in omnem successus melioris fiduciam probè firmatus, paucos intra dies, Viennam attigit. Ibi autem Imperatore non invento, Posonium (ubi tūm comitiis Hungarorum Ferdinandus III præsidebat) cum eo, super itineris sui ratione, ut & paulo post, Æniponti, cum Archiduce Claudia, contulit. Tum autem, è Tridentinis jugis, in Italiam descendens, Veronæ (quo fere tractu, soli cæliq; clementia, mollissimâ Longobardia creditur) an Venetias, Hetruriā, Romam, Neapolim, & alias nobilissimas Italiam urbes, eo tempore lustraret, Princeps deliberavit. Sed vere jam in æstatem declinante, ne summis deinde caloribus oppressus, ardente Sirio, Hispaniam Sabulosam & montosam, cum manifesto valetudinis, imo & vita ipsius, periculo, his inassuetus Princeps, & à Septentrione veniens, ingredi & peragrare cogeretur, hanc peregrinationem Italicam, (ut superius insinuavimus) usq; post Hispaniam,

Viennam,
Mediolanū.
& Genuam
venit.

niam, Galliam, Hispano-Belgium, Angliam,
& septem foederatas provincias visitatas, di-
stulit, & Mediolanum statim, inde Genuam
processit. Quibus in urbibus, licet ignotus,
& sub amplitudine legati, versaretur, tantum
tamen honorem & benevolentiam expertus
est, ut, quod amplius noto facerent, nihil re-
lictum videretur.

*Mediola-
nen: & Ge-
nuen: genius;
rum utriusq;
urbis opera
publica.*

Placuit maxime utriusq; urbis incola-
rum genius, & dissimulatio mira; adeo etiam,
ut, cum Poloniæ Principem, quod à comiti-
bus negabatur, adesse scirent, nonnulli etiam
de facie noscerent, tamen hæc omnia igno-
rare viderentur. Sic, cunctis ad omnia Princi-
pis voluntati & desiderio se conformantibus,
Mediolani, præter templæ, monasteria, offici-
nas, Ducale palatium, & alia ædificia publica,
castellum interius, seu eminentius, ascendit,
& desuper subjacentium propugnaculorum
conditionem, situm, dispositionem, formam;
& Genuæ, præter sacras etiam ædes, arma-
mentarium, & palatia, Ducis, (quem ipsi Do-
ge vocant,) Principis Auriæ, Spinolæ, Neræ,
etiam Imperiale Palatum lustravit. In hoc
enim summiopere mons ille, in formam hor-
ti, miro artificio, sedactus, placuit. Primo
quip-

quippe introitu, rerum omnium varietate ac ordine, miram statim, confuse intuentium oculis, ingerit amoenitatem. Singula vero contemplanti, singulares etiam voluptates jupiter accedant. Videas enim viam, altissimis cupressis consitam, qua in ipsum montis fastigium, sine fastidio ducit, gratissimo virore, & pulcherrima proportione luxuriare. Eminentiore paululum loco, piscinam aqua limpidissima, pisciumq; selectissimarum copia, redundantem, & proceris cypressis undiq; adornatam, è quatuor angulis aquilas saevas, velut in praesidium suarum rerum, vigilare. Progressis inter circumjectas arborum herbarumq; delicias, in ipsum usq; montis cacumen, alia piscina, amoenitate inferiore non secunda, ascendentibus occurrit, & suis fontibus, voluptatem omnem & fastigium coronat.

Dum hæc & similia Princeps, quasi per otium, lustraret, & diebus aliquot febricula tentaretur, non minus interim, de maturando promovendoq; itinere, cogitabat. Mare Ligusticum, Sinum Massiliensem, fretumq; Leonis (Italicè vulgo Golfo di lione) Barcinonam usque, Gothalaniæ metropolim, trans-

*Princeps de-
liberat, que
occasione, in
Hispaniam
naviget.*

fretare, & committere sese alto mari, nullum tunc dubium erat, sed, qua occasione, & quo navigio, in deliberationem veniebat. Erant enim qui navem Anglicam mercatoriam (quæ tum in portu erat, &, lucrigratia, Barcino nem vela direxerat) condescendendam suaderent: tum quod amica & neutrarum partium esset; tum etiam, quod, æstatem Hispanicam formidanti, & eatenus occasionses proximas inquirenti, prima futura optima vide retur. Alii, non esse ignoto nautæ, dubiæ navi, & ad commoditatem tanti Hospitis incipæ, personam vitamque Principis credendam. Sed, sedecim triremum Hispanicarum, classem, quæ, novo Prorege Neapolim transvecto, propediem, & certocertius, intra octiduum, ad futura esse, expectandam. Cum hac enim Principem, non commode tantum & securè, sed honorificè etiam navigaturum; potiusque videri mora, quam temeritate peccare. In hac sententia, ut multi Principis familiarium erant, sic idem alii etiā, & primarij, & magnæ experientiæ viri (ordi narius Regis Hispaniarum Legatus Genuæ residens, & Comes Monterejus Prorex, & nupera Regni Neapolitani administratione Ge-

Genuam reversus) suadebant. Hic enim ipse, cum eadem classe, Barcinonem cogitabat; cum qua tandem etiam, cum uxore, liberis, comitatu, & Italica suppellectile preciosissima, salvus & incolumis, sat feliciter transfretavit. Aliis contra, utrumq; jam memoratum, displicebat; & prius quidem temeritate, posterius autem incertitudine damnabant. Quomodo enim Genuæ sciri posse, quid, cum absentibus, Neapoli agatur. Rumpere, interdum morari, proposita hominum, Fortunam. Et quam facile aliquid intervenire posse, quod statuta, & firmiter etiam decreta, retardaret. Et, posito, nullum à mortalibus impedimentum fore, quiscum insano mari, incertis noctibus, furentibus procellis, ventis, ac demum Superis, in consilium ierit? Minus scrupulose, intra octiduum, classem promittere, qui, sine Neptuno & Aëlo, qui, sine cœlestibus, calculos posuissent. Labi interim in incertum dies, & astantes, quam prævenire constituissent, opinione celerius affuturam. Adeoque tertium hī volebant, quod nec ex temeritate periculum, nec incertitudine moram saperet.

Sic vero deliberantibus ecce vir primarius,

*Genuensem
Triremem
intraat.*

rius, è prima Genuensium nobilitate, Princi-
pi charus & familiaris, supervenit, & has di-
versas, diversa sentientium, voces audiens,
præparatam esse Reipublicæ Genuensis trire-
mem inruit, quæ Barcinonem navigatura,
eiusdem Reipublicæ legatos, ex aula Regis
Catholici, Madrito reduces, è Gothalandia
domum revehat. Facile Seren: Rempubli-
cam, dummodo Principis mentem non igno-
raret, ut hæc tota esset ad obsequium ipsius,
concessuram. Quid dicam? Hie rerum hu-
manarum orbis est, ut Divina providentia,
supra humanam prudentiam, jugiter sit ad-
miranda; cuius scopus, licet mortalium inge-
nii plerunq; teatus, sero tamen ad extre-
num patet in aliud intentis. Eo Princeps,
ordinante Deo, inclinabat, quo eum fata tra-
hebant; & ita quidem, ut, cum innoxia con-
sentiret, prudentissimè tamen facere videre-
tur. Idem quippe & Ser: Reipublicæ Dux, &
amplissimus Senatus, & quasi tota Genua
suadebat: Insuper & portus Gallicos, & Gal-
lica sibi littora, in eventum omnem, amicissi-
ma prædicabant; sic ut Princeps minimè su-
spectus, magniç; Regis Regniq; optime, ab
antiquo, cum Gallia conscientis, Frater &
Prin.

Princeps, si freti Leonini fluctus, minæ, impetus, & procellæ (ut evenit) graviores essent, & stationes favorabiles, & benevolentiam singularem, & omnem humanitatem Gallicam, Orbi notam, tam suo, quam Reipublicæ, respectu, esset experturus. Et mox Diana suam (sic enim, ab effigie in puppe, tremis illa quidem splendida, sed Poloniæ Principi fatalis, vocabatur) Respublica Genuensis, suo sumptu, & munificentia singuliari, annona, commeatu, lautiis Regalis mensæ, aurea insuper & argentea suppellestile, in servitium decusq; Principis, affatim instruxit. Hanc talem occasionem, & benevolentiam, Comites Poloniæ Principis, videntes, cum nec mora in præsens, nec metus in postrum retardaret, magna fiducia, quasi manibus pedibusque, in eandem sententiam, omnes, & triremem concederunt. Erant Galli aliquoi Genuæ, qui, patriam anhelantes, Provinciis intermediis, totaq; Subaudia, populationibus, rapinis, & omni furore Martio flagrante, Johannem Nicolaum Saoli, præfectum ejusdem triremis, adeuntes, hanc unam, si fieri posset, gratiam rogabant, ut in portu aliquo Gallico exponerentur. Præf-

Etus, iis ad modicum dilatis, &, hac super re, jussa Principis inquirens, illo clementer annuente, eos quoq; in Dianam suam, cum aliis recepit. Etsic, audita missa, actisq; Reipublicæ, pro omni humanitate, gratiis, ejusdem Anni 1638. 4 Maij, Genuasolverunt.

*Genua disce-
dens, secun-
da die, s.
Turpinum
intrat.*

Sed Princeps, qui, ut dixi, Genuæ, ex febricula, diebus aliquot male habuerat, non nihil recidivus, accedente etiam nausea marina, Savonæ in terram descendit, &, templo miraculoso D. Virginis visitato, in tremorem regressus, in sequentem noctem, in Noli portu transegit. Mane, id est quinta Maij, sublatis anchoris, valetudine licet in pejus proficiente, ulterius perrexit, &, sub vesperam, Arasien sem portum tenuit. Sexta vero, remigum opera, decem circiter milliaribus Italicis confectis, validiore aspirante vento, expansis velis, multos portus, & Insulam S. Margarethæ (ex qua globo tormentario, sed extra jactum, salutatus est) prætervectus, pessime habere cœpit. Quippe & à morbo debilem, & à marina jactatione, nauseabundum Principem, hisce inassuetum, ingratus jam culinæ nidor, sentiæ etiam, & quem remigum corpora exhabant; tum horrida maris facies, & immanes

autu

pro-

procellæ, plurimum alterabant. Præsertim cum, proficiunt in tempestatem maximam, ventorum rabies inclementius sævire cœpit. Tum enim, altius intumescente mari, omnes, non de valetudine tantum, sed vita Principis, & sua etiam, solliciti, ad preces, Divinam clementiam, & ea quæ necessitas suprema suggerit, configurerunt; tandemq; Divina providentia sic ordinante, jam vergente die, in S. Turpini, Gallicæ ditionis, portum; à ventorum violentia, vastisq; fluctibus, acti sunt. Ibi singuli, pro sua quisque pietate, ad gratitudinem conversi, Deo gratias agebant, læti quod evasissent. Princeps autem, morbo, tempestate, & nausea marina, debilis & fatigatus, ut se nonnihil reficeret, & ea saltem nocte quietius dormiret, civitatem ingredi decrevit. Quod unus è Gallijs homo vafer & semi Græcus Massiliensis, nomine Johannes Godefridus, audiens, Principi, ut incognitus, veredis, secum Massiliam equitaret, suavit. Nam, una & altera die, terrestri aura recreatum, in melius valetudinem ituram; sibique redditum, majori corporis & animi cum vi- gore, mari rursus Barcinonem navigaturum. Legatus autem Règius Comes Konopatscius,

& Butlerus supremus Cubicularius, non adeo amicitiæ Gallicæ, in hac conditione temporum, infestissimorumq; animorum, utramq; coronam habitantium, & Hispanorum Ibericam, & Francorum Gallicam, clanculo monabant. Valetudinem & sanitatem ejus, summae sibi, post Deum, curæ esse, &, ut illam, sic vel maxime personam ejus, observandam suscepisse. Post procellas, tempestates, & ventos, quanto vehementiores essent, tanto citius malaciam sperandam; cum hâc, per Dei gratiam, & sanitatem, & omnia simul adfore. Si vero Principi, in terram descendere, omnino constitutum esset, saltēm à littore & diversorio, (quod portus margini adjacebat) non abiret: sed, transacta nocte, mane in tremem reverteretur, nec cum ignoto homine, se noscentē Massiliam equitaret. Sed ineuctabilis fatorum vis est, quæ, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Princeps enim, qui ex Hispania, per totam Galliam, ultro Parisios iturus erat; tum præsentem valetudinem suam considerans; tum etiam innocentia, cognationi, amicitia, & animorum conjunctioni, quæ cum, Glor: Mem:, Sigismundo Patre, Vladislao Fratre, Regno-

Regnoq; Poloniæ; cum Regibus Regnoque Galliæ, ab antiquo fuerat, & etiamtum erat, confisus, his omnibus neglectis, cum Ferdinandu Miskowski Marchione Gonzagæ, Andrea Kotovicio cubiculario, & uno e ministris suis Petro Elertio, Massiliam petiturus, in scapham, & simul Galli omnes, cum sœvi maris truces fluctus porro abominarentur, in littus patrium descenderunt.

Sed (quo abiistis candor & fides!) vix, cum illo semigræco Massiliensi Johanne Godfrido, in diversorium Princeps venerat, cum mox idem ille cœpit, qui huc usq; suosorem egerat, agere proditorem. Confestim enim & Patrifamilias, & vilissimo agazoni, ut sciret nimirum quem vecturus esset, nomen & personam Principis manifestat. Indeliteris, intempesta nocte, ad Magistratum Massiliensem, præmissis, intra biduum, Poloniæ Principem, intraturum Urbem, aperit, &, de illo, quid actum velint, mature ut deliberent hortatur. Hisce machinis, ignari Principis in exitium, à perfido homine, jam ordinatis, in sequentis diei (quæ erat Maij septima) crepusculo matutino, Præfecto triremis, aura leuiore jam aspirante, cum legato Regio, & co-

*Massiliam
discedit,
proditur, &
in triremem
revertitur.*

mitatu reliquo, Massiliam navigare jusso;
Princeps, itinere terrestri, sat incommodo,
præcipitiis horrido, & latronibus infesto,
Massiliam perrexit; Cujus suburbio cum
postridie, octava Maij, sub Vesperam, appro-
pinquaret, proditor Godefridus, ingenti se
dolore, ab ingressu tam civitatis, quam ædium
patriarum, prohiberi finxit; eo quod, in hi-
sce, adhuc inhumatus parens, funeralia expe-
taret, in illa autem periculum capitis, ob cæ-
dem, anno præterito, in duello commissari,
sibi immineret; cum nec parti læsæ, nec Ma-
gistratui, adhuc reconciliatus esset; suadetq;
Principi, & præcedere, & ductorem illum
(quem indice monstrabat) sequi dignaretur,
se prima luce in idem hospitium, sine arbitris
venturum. Id autem agebat hoc commen-
to homo vafer, ut cognosceret, quid pridie
datæ literæ, apud Magistratum, effecissent,
& quid de Principe acturi constituissent.
Conclusum autem fuerat (ut postea intelle-
ctum) à Champignio, Superintendentे per
Provinciam, qui tunc Massiliæ residebat; ut
Princeps non ea vespera (ne fatigato novam
molestiam crearent) led' mane, jam adulata
die, à Magistratu, detineretur. Idq; ut dextre
fie.

CARCER GALICUS.

sieret, venit proditor Godefridus sub noctem, & post plurima lamenta, super parentis funere profusa, hortatur Principem tamdiu somno indulgere, donec ab ipso excitaretur. Ignarus harum fraudium Princeps erat, sed à bono velut Genio monitus, elusit proditorem. Nam, sub orrum auroræ, surgens, ut sacro Missæ officio interesset (dies enim erat Dominica & nona Maij) templum adiit, Elertio interim ministro suo, quædam pro vestibus necessaria comparare jusslo: qui in fornice, dum licitatur, de adventu Principis, eoq; detinendo, colloquentes audiens, insperatae rei nefas exhorrescens, emptione celerata, & ad Principem festinus, quid audierit enarrat. Princeps se, cum stupore, proditum advertens, nec causam detentionis ullam se videre dicens, tamen subito ad portum properat, & inventam triremis suæ (quæ, cum legato, septima die Maij, in portu *alla citta* dicto, octava autem Massiliæ, inter castella duo, longius ab urbe in scopulum evecta, pernoctaverat) sequacem cymbam concendens, & velocissime vectus, à suis, in lente progredientem triremem, iterum receptus est.

Sic itaq; Princeps, rursus sui juris redditus,

*Portum tur-
ris de Boyc
intrat.*

tus, & decocta nausea, in valetudine paululum confirmatus, ut ante, Dianam suam, mare mediterraneum, recta jam Barcinonem (si Superis placuisset) petiturus, navigabat. Sed hoc in proposito ejus quam breve solatium: vix sex leucas perfecerat, cum subito, deficiente vento, fatalem sibi portum, (Gallicè vulgo *Tour de Boyc*) petere cogeretur. Est autem ille portus ab antiqua turri ad marginem faucium, quibus mare illabitur in canalem de Martegues, sita, sic nuncupata. In hujus autem canalis medio, quædam insula, duobus pontibus continentij juncta, ferrariis officinis occupatur. In hunc itaq; canalem, has fauces, & hunc portum, taliter ordinatum, Princeps ingressus, bina explosione, consueto symbolo, amicum se professus, terræ Dominum veneratur. Missaq; cymba (cum, è castello, more solito, amica explosione, venientem hospitem salutassent) triremem Genuensem, peregrinum Poloniæ Regis legatum esse (sub cuius amplitudine, ut dixi, Princeps latere voluit,) Præfectum loci Nargonium, certiorem fecit.

Sic utrinq;, solennitatibus peractis, ja-
ctisq; anchoris, ad horas aliquot, & ingressus,
& por-

CARCER GALLICUS.

33

& portus, & statio, & pacifica omnia: Quin
& Principe, in Diana sua, prandio accum-
bente, milites aliquot, è præsidio, adnavigan-
tes, in triremem recepti, lautius à familia tra-
ctantur; licet in hoc missi, ut, an nuntiata ve-
ro consentirent, cautius explorarent. Certè
& ex apparatu, & splendore mensæ, & è re-
migibus, facile, quinam in triremi essent, &
quas terras peterent, didicerunt. Iis autem
liberaliter habitis, & in castellum reversis,
Princeps, invitante malacia & tranquillitate
maris, in oppositum oppidum Martegues,
adhibita sequace cymba, animi gratia descen-
dit, & post modicum, pane tantum & vino,
in diversorio publico, cum duobus tribusve
sociis, gustato, in Dianam reversus est.

In oppidum
Martegues
diverit.

Et jam declinabat dies, cum, paulatim
inimicitiae & captivitatis telam ordientibus
fatis, missus à Nargonio Castellano Officialis,
præfectum triremis Johannem Nicolaum Sa-
oli, ejus nomine, salutaret, rogaretq; insuper,
in castellum divertere paulisper, ne gravare-
tur. Comperisse nimirum Nargonium supe-
riorem suum, è Byserta Africæ piraticas trire-
mes aliquot, sub littore Gallico, vagari; ad
quas & omne periculum evitandum, & alia

Praefectus
trireme in
castellum vo-
catur, & de-
tinetur.

E

non-

nonnulla, Serenissimam Rēpublicam Genuensem concorrentia, communicanda, cum eo oretenus conferre velle, Castellani benevolentiae esse. Præfectus triremis, actis, pro amica sollicitudine, & favore, gratiis, quod è navigio, curæ suæ commisso, ob negotia, suam præsentiam requirentia, egredi non licet, officiosè le excusavit: plurimum autem Rēpublicam Genuensem obligatam fore, si id, quod ejus porro interesset, scripto communicare dignaretur. Hoc responso, qui missus fuerat, expedit^o, non diu in munitione, seu castello, moratus, mox ad Præfectū triremis, secundo rediit, & Castellanum suum, ejus excusatione, graviter offendit, retulit. Nec potuisse etiam, certè non debuisse, honestæ ejus petitioni, præsertim audito Reipublicæ Genuensis commodo, quo cunq; titulo refragari. Proinde sententiam mutaret, & Castellano, utilia suadenti, & paulo amplius etiam modo quam rogantī, morem gereret: securis si p̄t̄sumeret, & eum, in posterum, difficulter rationem, Reipublicæ suæ, redditurum, &, à se vim præparatam, sciret; cum id, quod agatur, non minus ad Coronam quoq; Gallicam, eidem Reipublicæ confederatam, spe-
ctet.

&cet. Deniq; ut serio rem agi, Præfectus tremis videret, omnia tormenta bellica, è Castelli mænibus, in triremem directa, indice monstravit. His visis, & auditis, Officiales & Navarchi (qui etiā Genuenses erant) nil hostile sibi consciū, & quod, cum Poloniæ Principe, in Hispaniam transfretarent, non esse, contra fœdera & pacta, cum Regno Galliæ, à Republica judicatum non ignorarent, imperium minasq; Castellani, ut præcipites minusq; consideratas, contemnendas censuerunt. Superesse enim illi saniora media, quibus id, quod forte vellet, sine tanto discrimine, cultæ semper, inter Gallos & Genuenses, amicitiæ, tam subito Bellonæ machinis lacerandæ, obtinere posset. Alii, rem paulo altius considerantes, minimè hanc ferociam Castellani spernendā esse, sed, Præfecto non dimisso, sublatis anchoris, triremē potius incertis fluctib⁹, quam discretioni Gallicæ committendā, asserebant. Subesse enim aliquid, quod eum, in hunc impetum, & furorem promoveret. Ple-
riq; Poloni autem, qui in Galliis, juniores fuerant, humanitatem Gallicam, ceu doli fraudisq; nesciam, mirum in modum extollentes, ab hisce omnibus dissentiebant. Iret Præ-

fectus in Castellum, & Castellani senis (talem enim esse competerant) non nationis, sed ætatis vitio, morosi, desiderio & postulatis satisfaceret; de candore Gallico omnia sibi polliceri. Princeps quoq; innocentia & amicitia Regnorum, & peregrinæ virtuti, plurimum confisus, in eadem sententia erat, Præfectoq; tandem (qui, nutus Principis obserbare, à Republica, jussuserat) ad Nargonium ut se conferret, imperavit. Sed quam male sentiunt, qui ex suo candore, sua innocentia, sua etiam opinione, aliorum semper metiuntur: Aliter Galli, qui in Castello erant, & aliter Poloni, qui in Diana, judicabant. Vix enim Præfctus triremis munitionem intraverat, quin hi consilium probæ simplicitatis, quam in Gallis speraverant, damnarent. Castellanus enim, cum Præfctum triremis, quos vheret, interrogasset, & nihil ille subticuisset, statim, Castello ne exiret, serio præcepit; qui &, cænâ, è navigio, perpuerum, petita, ibidem pernoctavit.

Xenopatfcius
ad Castella-
num missus,
detinetur.

Cæterum, nocte illa, à mæstis partim, & indignantibus, variis, ut sit, imaginationibus transacta, Decima Maij, proficiente die, vi- sum Principi Johannem Carolum Comitem

Kone-

Konopatſcium, virum gravem, honoratum,
Ecclesiasticum, & Legatum Regium, tum
Gallicæ linguae, & nationis, gnarum, ad Ca-
ſtellanum mittere, &, per eum, quare ſic, in-
uſitato more, cum Præfecto triremis, Reipu-
blicæ Genuensis, amicæ, & confæderatæ, mem-
bro, procederetur, interrogare. Cui, cum
uno Aulico, & Secretario Principis Andrea
Basio, munitioni appropinquanti, Nargonius
occurrens, eum, ſalutatione peracta, ſolitis
officiis, in caſtellum introduxit, &, aliquan-
to tempore colloquio protracto, tandem ad
ſuos, nonnihil ſe recepit. Sed, poſt paulu-
lum, conſilio cum ſuis habito, pluribus stipa-
tus, ad Legatum Regium reverſus, cauſam
detentionis non eſſe aliam inſinuavit, quam
Comitem Ludovicum Valesium, Regis Chri-
ſtianissimi Provinciæ Gubernatorem, intel-
lexiſſe, Sereniffimum Poloniæ Principem,
Johannem Casimirum, in triremi eſſe, paſſim
portus Gallicos intrare, & Barcinonem, inde
Madritum, iter direxisse? Illi hinc in votis
eſſe, tantum Principem, inſalutatum, in Hi-
spanias non dimittere, ſed hoc gratiæ ſingu-
laris anhelare, ut, & ejus præſentia frui, &, ob-
ſequiis coram oblatis, honore debito proſe-

qui liceret. Ad hæc, Legato, litteras, desuper Massiliæ, à Ministris Regiis, transmissas, ostendit, ad manendum comiter invitatus, missaq; schedula, pariter suum Principem, in castellum evocet, hortatur. Quippe, in terra quam in mari, castello quam triremi, & Principem morari, & Gubernatorem (qui eadem aut certe die proxima ad futurum esset) salutare, utriq; convenientius videri. Sperare etiam, hac in parte, Principem non difficultatem futurum: velle enim benevolentiam, & salutationem tam amicam, subterfugere, id vero indubitatum, hostilis animi, in Coronam Gallicam, signum fore; quo casu, quomodo sibi (quod Deus averteret) procedendum esset, etiam Legatum, pro sua prudenter, non ignorare. Ut autem, ad destinata, Principem, & Legatum, faciliores redderet, missis sex celocibus armatis, ab omni latere, triremem, in eventum, circumvenit.

*Princeps in
castellum vo-
catur, & de-
finetur.*

Legatus ergo, cum verba & rationes hominis armatas, & suasiones ejus jussa experietur: tormenta insuper, in exitium triremis, directa, & Principem, si secus fieret, in summo vita periculo videret, tergiversari porro, in iis, stultum duxit, quæ momento omni,

Nar-

Nargonius extorquere posset. Adeoq; dissimulata injuria, & posterioribus, quasi ea, quæ agerentur, non intelligeret, transmissis, ad mitiora tantum, & Valesii humanitatem versus, salutationem ejus, suo Principi, gratissimam fore dixit, scriptisq; literis, eadem, quæ, de Valesio, Castellanus retulerat, Principi patefecit. Non erat tam cardi judicii Princeps, qui idem cum legato, aliud agi, peti alius, sentiret, sed, cum vim præparatam undiq; & eadem etiam, quæ legatus, videret, pariter dissimulandum ratus, publicè devotionem Comitis extollens, specioso nonnihil occurrenti titulo, cum Ferdinando Miskowski Marchione Gonzagæ, Gothardo Guillermo Butlero, & Theodoro Dönhoffio præcipuis cubiculariis, tritemis sequacem cymbam, & privatim jam suspeatum littus, invito pede pressit. Cui Nargonius, nunc voti compos, cum præcipuis suorum, occurrens, eum, in castellum intimius, introduxit. Adeoque paulatim alius, quomodo talis tantusq; Princeps, ingredi peregrinos portus, terras, urbes, non prius petita venia, præsumpsisset, summopere se mirari dixit: præsertim Christiano orbe in confusionem acto, & bello, armis,

mis, igne, ferro, proprium in exitium, fero-
ciente. Cui Johannes Casimirus: itineranti,
nullarum partium, Poloniæ Principi, Occi-
dente licet in perniciem armato, nullas pu-
blicæ securitatis litteras, à Corona Gallica,,
necessarias fuisse: nec enim se, hac vice, Re-
gem, aut Regnum Franciæ, visitare consti-
tuisse. Unam tempestatem, nauseam, & in-
firmitatem, trinas noctes, & unum biduum, in
eam terram coëgisse, cuius Dominus, ab an-
tiquo semper, cum Sigismundo patre, & Vla-
dislao Fratre, Poloniæ Regibus, amicitiam,
usq; huc, incorruptam, & sacrosanctam, mu-
tua Religione, conservasset. Ad hæc Nargo-
nius: in castello Princeps, usq; adventum Va-
lesii Gubernatoris, morari dignaretur; ab eo,
hisce rationibus auditis, plenariam, in omni-
bus, satisfactionem habiturum. Sic, Præfe-
cto triremis, Legato, Principe, partiim frau-
dibus & dolis, partim violentia & minis, à va-
fro sene Nargonio, circumventis, & in castel-
lum tractis, exorta etiam subito, cælo nubi-
lo, tempestate, & immanibus procellis intu-
mescente mari, ceu de hac detentione omniū
nauseabundo, decimam diein Maij, fallax &
iniqua Fortuna, nefastam reddidit.

Verum.

Verum enim vero nocte una, in angusto
fornice (in quem Princeps, cum Legato, &
septem aliis, à Nargonio, introductus erat)
transacta, &, sequenti mane, nemine com-
parente, deliberatione prævia, Samuel Opatz-
ki, magnæ apud suos nobilitatis, & generosi
spiritus, adoleſcens, Cubicularius Principis, &
in lingua Gallica expeditus, ab eodem Prin-
cipe, ad Provinciæ Gubernatorem, & suspicio-
nes, (ſi quæ forte, ex otiosorum hominum, no-
vitate gaudentium, &, non ſine plurimorum
injuria, prava lagacitate, aliena ſcrutantium,
rumorib⁹, leviter hinc indeſparsis, in ejus ani-
mo ſuccreviſſent) diluendas, missus eſt. Qui,
in juncta ſibi à Principe, gnaviter executus,
nihil amplius tamen, à Valesio Gubernatore,
quam Secretarii ejus, Marescotti, adventum,
impetrare potuit. Qui, ſequenti die, Princi-
pem, Domini ſui nomine, ſalutans, eum, quo
minus ipſe, devotionis ſuæ plenitudinem,
obsequiorum promptitudine, coram demon-
ſtraret, inopinata affectione femoris, ad mo-
dicum, prohiberi. Nullatenus autem ſe du-
bitare, ut prium, Princeps, cum eo, contu-
liſſet, consolatione non minima fruiturum.
Princeps, contra, modum, & iuſolentiam,

Inhumanus
à Nargonio
Prefecto tra-
ſatuer.

quasi eum vilissimo agasone, secum procedendi, multis & gravibus, accusabat: Damnum etiam ingens, quod sibi, si diutius detineretur, emersurum esset. Secretarius (cui nihil in commissis erat, quam, inani spe, & phaleratis verbis, Principem lactare) ordinaria illa, & nationi Gallicæ, familiari civilitate usus, fucata lenitate, despectum Principis elevare, & palliare dampnum, pluribus conatus, tandem, vergente die, post multum inanum verborum & cæremoniarum, ad Valegium suum reversus est. Postridie vero, Champinius, Provinciæ (ut vocant) Superintendent, uno patritio, duobus togatis, & proditore illo Massiliensi Johanne Godefrido, comitatus, Principem salutans, sub humanitatis specie, an vere Princeps, an, sub ejus nomine, quispiam aliis adesset, explorabat. Cujus à proditore jam certior redditus, solito cæremoniarum circulo absoluto, &, spe nonnulla melioris, Principi relicta, ad vesperam recessit. Sic quinq; continuis diebus, variis promissionibus, Princepe deluso, in angusto illo fornice, servabatur, &, tam rigide quidem, ut nec ipse, nec quisquam, è septem illis, qui simul, in eadem quasi cavea, versabantur, sc. cede.

cedere, vel ad necessitatem, à custodibus
(quos honorarios tamen illis vocare libuit,) permitteretur.

Quinta tandem die, 14 Maij, jam prandio absoluto, Chantarena, Præfectus custodum corporis Provinciæ Gubernatoris, in castellum venit, & à Secretario ejus Marescotto, parvam, in hunc fere sensum, schedulam porrèxit: *Quoniam Comiti Ludovico Valesio, Provinciæ Gubernatori, Domino suo, Serenissimi Principis amplitudinem, minus honorificè, castelli arctioris angustiis circumscribi, non ignotum eslet, commoditati & decentiæ ejus, integrum Archiepiscopale palatum, Salonæ ordinasse. Ne autem, hinc, in longum rejci, solatia sua, suspicaretur. Missum jam tabellarium, ad informandam Majestatem suam, Lutetiam Parisiorum, ad cuius redditum, non nisi duodecim, aut, ad summum, tredecim, dierum mora requiretur. Mandasse interim Chantarenae huic, Præfecto custodiæ suæ, obsequiis & servitiis Serenitatis suæ, sedulo invigilare. Hæc autem & Chantarena, in mandatis se habere, oretenus referebat, & Salonam ut se movere dignaretur, Principem hortabatur. Renuit,*

*Marteguem
deducitur.*

prima facie , mutare locum , Poloniæ Prin-
ceps, iisq; in angustiis, responsum Christianis-
simi Regis, expectaturum se, profitebatur. Ad
extremum tamen, cum severius urgeretur,
invitus paruit, & consenso (ut offerebatur.)
vili equo, centum militibus præcedentibus,
totidem, à tergo, subsequentibus, in vicinum
oppidum Martegues (reliquis, qui, ex oppo-
sito, in Diana erant, eodem navigare jussis) ea
vespera, deducebatur. Ibi Princeps, viso Eler-
tio, uno è ministris suis, dígito citavit, cui, ad
Principem festinanti, in ostio Chantarena se
objecit, &, quid vellet, interrogavit; quo, ad
Principem se vocatum, respondentे, bacu-
lo, quem dextra premebat, capiti impacto, se-
verius abegit. Non poterat dissimulare Prin-
ceps, quin, hujus insolentiæ, causam indaga-
ret; adeoq; ad Chantarenam, versus, cur il-
lum; è familia sua, percuteret, sciscitatur.
Quia, me non requisito, Chantarena respondit,
huc, ad Serenitatem vestram, intrare præsum-
psit. Sed ego, ait Princeps, vocavi eum. Cui
Chantarena, non Tuum hic, ô Princeps, sed
imperare, meum est. Ergone me captivum,
Princeps inquit, Chantarena, dicis? Cui hic,
attractis nonnihil humeris, non alium, re-
spon-

spondit! Ingemiscere, ad hanc vocem, Princeps auditus est, nec tam suam, quam nationis Gallicæ, sortem indignari; præsertim quod in ea, candorem illum, quem attulerat, non inveniret. Liceat autem hic, Fortunæ ludibrium, brevi saltem periodo admirari. Videlicet quod, ejusdem Elertii occasione, hoc in oppido, se captivum, Princeps didicerit, cuius indicio, Massiliæ, captivitatem evanuit. Sed nos, hæc fatorum decreta, Superis relinquentes, Chantarenam, transacta nocte, Principem Salonam deducentem, styli beneficio, sequamur.

Ille, crepusculo matutino, jam expeditus, cum Principe, ad præsentia non aequafacili & prompto, in navigium (Tartanam vocant) descendit, quo, ad S. Camani villam, vecti, ibi terram iterum, & rhedam Provinciae Gubernatoris, ascendentes, se jugibus equis, eadem die, 15 Maij, Salonam advehuntur. Mirum dictu, quis ibi concursus vilioris vulgi, tantum Principem, uno vehiculo, vilius advectum, videre anhelantis, fuerit. Persuasum enim illi erat, nec aliter etiam, quam eum, armata manu, Galliam ingressum, in oppugnationibus manifeste deprehensu, &

publicum ut hostem, captum esse, sentiebat.
 Adeoq; truci vultu, crudeli supercilio, ultricibusq; minis, hinc inde affusū currui, Principem non aliter, quam si, cum triginta sex personis, integrum Galliæ Regnum, subjugare præsumpsisset, ad arcem usq; prosequebatur. Sic ut ex moribus, totaq; compositione corporum, quod, nisi publica potestate prohibitum fuisset, injectum Principi, cum suis, violentas manus, & in frustula dissectorum, facilè appareret. Sed tum quidem Chantarena, cum militibus, sæviora stitit.

*Secretarium
suum ad val-
losum mit-
mit, qui re-
mittitur,*

Princeps interim palatum Archiepiscopi Arelatensis (ad eum quippe spectat) salvus & integer ingressus, & centum militibus, sex jugiter ante cameram, eum observantibus, responsum Christianissimi Regis, magno cum desiderio, Lutetia expectabat. Sed, tredecim diebus jam elapsis, & nullis litteris, nulloq; tabellario, ut promissum fuerat, comparente, apud Valesium Provinciæ Gubernatorem, ut Andream Basium Secretarium suum, (qui, apud Regem Christianissimum, suspiciones à vero plurimum aberrantes, dilueret, innocentiam suam demonstraret, & quam secum, rigide, contra omne fas & decus, procede-

cédéretur, manifestaret) mittere Parisios liceret, sollicitabat. Quod, an Principi concedendum, Valesio, cum suis, deliberant, veredarius supervenit. Et tum quidem passim, apud vulgum, sanctiora quæque, non sine veritatis injuria, religiosè minus, rimarisolutum, fama crevit, Regem Christianissimum, magno, videndi Principis, desiderio teneri; adeoq; ut & hic Parisios se conferret, & Genuenium tritemis libertati pristinæ restituere, jam à Majestate sua, mandatum esse. Hæc autem fama, quod fidem, etiam apud Principem, inveniret, innocentia faciebat. Cum vero Princeps, nihil horum, post mortam dierum aliquot, in effectum deduci videret, Secretario suo, Lambesium (ubi tunc Provinciæ Gubernator erat) misso, ad Majestatem suam ut conferre illi se liceret, & quæ deinde destinata sibi, scire postulavit. Gubernator, ut desiderio Principis, saltem in alterutro, satisfacere videretur, Secretarium, cum hisce litteris, è lingua Gallica fideliter translatis, ad Principem remisit.

Serenissime Princeps

HAud equidem cum minori affectione animi, quam Celsi Vest; Tabellarj, quem ad suam Ma-

Majestatem miseram, redditum expectavi. Ut primum autem, Lutetia, hic, ad me, reversus est, statim Domino Chantarena, ut probam, Majestatis sue, circa Serenitatem Tuam, intentionem, Celsit: Vestræ aperiret, serio mandavi. Spero, paucos intra dies, Seren: Tuam, tum eſſe. Etum ejus, tum etiam alia nonnulla, quæ, per inopinatam profectionem suam, non parum, ad arteriorem, ambarum Coronarum, Gallicæ & Polonicae, conjunctionē occasione Celsit: Vestræ facere videbuntur, cum solatio non modico, visuram. Rogo interim, ne, rerum praesentium, ullo tedium ducatur; praesertim cum nullibi locorum honorificentius haberri possit. Quod si mea praesentia, etiam, Ser: Tuæ, conducere videatur, ad inserendum, promptus adero. Remitto Secretarium, ad Celsit: Vestrām, ea fiducia fretus, profectionem ejus, ad Aulam (quod in brevi, Majestatis sue mentem, intellecturum me non dubitem) superfluam & inutilem futuram. Quod si vero omnino, Celsit: Vestræ, eum mittere, viſum fuerit, proxima die Mercurij, Aquas Sextias, eum dirigere dignetur, & necessarias ei, publicæ securitatis litteras, dari jubebo. Interea hoc gratia mihi praestari rogo, ut, meis omnibus, tanquam suis, utatur. Quod pari liberta-

te offero, ut sum, & toto tempore vita mea, per-
severabo

Serenitatis Vestræ

Lambesii 29 die May, 1638. Devotissimus servitor
Anni 1638.

LUDOVICVS VALESIUS.

Intentio autem Christianissimi Regis,
de qua in litteris, & quam, Chantarena, Prin-
cipi, aperire debebat, &c, interrogatus, ape-
riebat, illa erat, ut Princeps, aut Saloniæ ma-
nere, aut, ad Gubernatorem (à quo, omni ob-
sequiorum genere, usq; novam, suæ Majesta-
tis, ordinationem, honorandus esset) Aquis
Sextias se transferre dignaretur. Stupebat,
his auditis, Princeps, &c, quod in tantum, præ-
sentia, à præteritis, dissentirent, summoperè
mirabatur. Quia tamen, juxta mandatum
Regium, in custodia, perseverandum erat,
maluit qualemqualem, Salonæ, libertatem,
quatuor parietibus cameræ, & unius exiguae
porticus, longitudine definitam, quam,
Aquis Sextiis, dubiæ alterius (ut ita loquar)
discretioni, se subjcere, &c, pro eo, qui, spe-
cioso titulo, ad obsequium offerebatur, im-
potentem fortè Dominum invenire. Adeo-
que ad prius suum, de alegando, Parisios, ad-

Eundem Se-
cret: suum
ad Regem
Gallia mit-
tit, & hujus
sermones cū
Domino De
Nojer.

G

Re-

Regem Christianissimum, Secretario, consilium reversus, eum, ad publicæ securitatis litteras petendas, ultiro iam, à Valesio, promissas, Aquas Sextias amandavit; quas tamen ille, non, nisi post tres instantias diversas, ab eodem, tandem impetravit. Quin & ei, è custodia sua, militem adjunxit, qui eum, nisi recta Parisios, ire non pateretur. Sic Secretarius, litteris, à Principe, ad Regem Galliæ, & Confessarium ejus, patrem Josephum, Capucinum (quas, suo loco, & tempore, inseremus) & instructionibus, ad Cardinalem Richelium, Nuntium Apostolicum, &, Genuensis Reipublicæ, Legatum ordinarium, provisus, cum Basilio Bassonetio, ut dixi, Belga Nobili, & aulico Principis primario, veredis, Lutetiam equitavit, quam, ab abitu suo, quinta die, 13 Junii, ingressus, Cardinale Richelio non invento, Coflanum, duobus miliaribus ultra Parisios, ubi tunc Richelius, in præsentia Gastonis, Fratris Christianissimi, Aurelianensis Principis, celeberrimum Belli Ducem Johannem de Werdum, pauculas ante septimanás, ad Buquenum, à Bernhardo Saxone Vinariensi, captum, & in Galliam transmissum, convivio, regali prorsus magni-

CARCER GALLICUS

81

gnificentia instructo, excipiebat) ab adjun-
cto sibi milite, deductus est. Tum vero, illo
custode suo, se, Aquas Sextias, recipiente.
Basius, in exequendis, sibi, à Principe, com-
missis, sedulus, & ut sit, tædiosis occasionibus
aulicis, inhians, supremo Secretario bellico,
Domino de Nojer, itineris, &, detentionis se-
riem, tum & innocentiam Principis, fusius
explicavit. Sed, Secretarius bellicus, longè
aliter hæc se habere, respondit. Quippe ze-
lum Principis, erga Domum Austriacam, &
hostilem, in Galliam, animum, Europam,
quoq; non ignorare. Utroque, nunc etiam,
potentius actum, visitato jam ante Cæsare,
ad partium caput alterum, in Hispaniam, &
Occidentem, navigasse, ut, ibi, Proregis Lusi-
taniæ, &, Archithalassi, omnium classium Hi-
spanicarum, titulo ornatus, majori animo,
potestate, vixibus, Domus Austriacæ hosti-
bus illijderetur. Ad hoc eam potissimum,
Gallia partem, quæ, Mediterraneo adjecta
mari, portibus opportuna, & obnoxia classi-
bus videretur, ab Hispanis toties ambitam,
ingressum esse; Provinciam & Delphinatum
pertransisse; S. Turpinum, Teloneum Mar-
gium, Massiliam, stationes, sinus, freta, &c a-
culi

stella passim mari imminentia; tam scrupulose perlustrasse, ut Praefecti, jam saepius notatum, detinere tandem, manifesta necessitate cogerentur. Secretarius, (cui propositum, & destinata Principis, tum & dispositio totius itineris, notissima erat) ad hæc tam frivola, & inania verborum, vehementius movebatur. Præsertim quod ea, à primario viro, quæ à levi vulgo, sagacitatis gloriam, cum damno veritatis, aliquando etiam cum periculo, suo & alieno, atcupante, sparsa erant, obijcerentur. Nihil enim temerarium, nihil absq; fundamento; sed omnia, æqua prudenter lance, in utramq; partem, scrupulosius ponderata, nec, nisi, comperta veritate, omni ex parte solida, de tanto Principe, à Rerum publicarum gubernaculo admotis, expectabatur. Magis vero etiam postea stupuit, cum eadem, non tantum Nojercium, supremum Secretarium bellicum, sed & Chavignum, summum Secretarium Regni, Cardinalem Richelium (cujus judicium tamen, ceu Divini consilia, ceu oracula, tum, in Galliis, habebahetur), & ipsum etiam Christianissimum Regnum, obijcere audiret. Insigne hec documentum, in quanta sape caliginosum.

hic

hic Orbis fluctuet & vacillet, cum illi, qui inter prudentissimos ejusdirectores numerantur, & qui, sublimi judicio, tum & elevatae mentis acumine, penetrare, & perspicere omnia existimantur, & aliquatenus etiam profitentur, toties, in rebus arduis, habescere, & cæcutire, experiamur. Sed nimis non placuit Divinae Menti, altius humanam elevare, ut, talem se esse, semper agnosceret, & errare humanum esse, de summis etiam, prudentissimi & terrestribus velut Diis, verificaretur. Verum enim vero, ut Superis illa relinquamus, & ad propositum, & Andream Basium, Secretarium Principis, revertamur, hic, cum stupor, & indignatio, non nihil deferbuissent, ad objecta solidè refutanda, in quantum Humanitas & gratia audientis permittebat, conversus contrariis argumentis, ita diluit, ut tuin quidem, ipse Dolimus de Nojer, paulatim alius, Secretarium, bene de libertate Principis sperare jussum, ad patientiam tantum animaret. Esse enim ob Cardinalis negotia & occupationes difficilem ejus præsentiam, difficiles ad eum aditus, & difficiles ejus aures. Præstare itaq;, cum nonnulla licet jaunaria temporis, opportunam occidimus.

casionem aucupari, quam, temerè quæsita, spem & fiduciam omnem, in præceps volvere, & lacerare. Esse enim verbum aureum in tempore suo, & tandem, exiguum moram, magno solatio compensandam. Secretarius hæc passim, in rebus aliis, vera esse, non diffiteri; attamen, in Principe, rigorem illum, quo, Salonæ, indies, cum magna injuria dignitatis, & humanitatis Gallicæ, haberetur, cum etiam instructionem suam, dilationem, in longum, non permettere. Habere enim, ad Regem Christianissimum, & Confessarium ejus patrem Josephum, litteras, vulgo credentiales; adeoq; ut ordinatus, hac in parte, & consueto more, procederetur, prius & maturius Cardinalis aures, inde Regis, tandem Confessarii, desiderare. Ad hæc Noyer-cius, ut, post triduum, duabus aut tribus mil-liaribus Lutetiâ Parisiorum, in palatio, & ordinario commorationis loco, Richelii Car-dinalis, Ruellæ, compareret, respondit, se, tum, omnem operam, ut, desiderio ejus, quamprimum satisficeret, adhibiturum.

Basium hujus primæ expeditionis suæ, licet Dominum de Noyer, ab initio, iniquo-rem invenisset, haud penitebat. Sperabat enim,

CANCER GALLICUS.

enim, jam, fracta glacie, visaque Pharo^{ss}, ad quam ratem suam dirigeret, facilius se navi-
gaturum. Sed quis candor, quæ facilitas,
apud Aulicos? Rectè Seneca. Regiae potentiae
ministri sunt quos delectat superbiae suæ longum
spectaculum: minusq; se judicant posse, nisi diu
multumq; singulis, quid possint, ostendant. Nec,
alio loco, minus verè. Quis eorum contentus Lib. 1. de
fuit, aut leniter rogari, aut semel? Quis non, cum Ben.
aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit,
vultū avertit, occupationes simulavit: longis ser-
monibus, & de industria non invenientibus exitū,
occasione petendi abstulit, & variis artibus,
properantes necessitates elusit? In angusto vero
comprehensus, aut distulit, id est, timide negavit,
aut promisit: sed difficulter, sed subductis super-
ciliis, sed malignis, & vix exequuntibus verbis?
Prorsus idem Secretario Principis evenit.
Nojercius enim, non è superbia quidem, sed
quod (ut de tanto viro, humanissimo alias,
æquius est opinari) difficultatem forte alibi
sentiret, differre Basium, silentio, aut simu-
lato urgenti negotio, festinatione transmit-
tere, mollibus etiam & humanissimis verbis,
sed nil nisi dilationes & amaritudinem affe-
rentibus, expedire, Interim dies & tempora
flue-

Hunc autem
cum experien-
tur.

Lib. 2. de
Ben:

Lib. 1. de
Ben:

fluebant, & Basius, post multas oportunitates, importunitates, & quotidianas aulæ frequentationes, inspem, metumq;, toties erexit, & dejectus, tandem, Abducto calculo, nihil, præter multum patientiæ, sibi reliquum invenit. Adeoq; Principem, Salonæ interim suspensum, cuius rei certiorem faceret, non habebat.

*Patrem Jo-
sephum adit,
& illi Prin-
cipis litteras
tradit.*

Itaq; ipse tandem, sine medio & patrino, patrem Josephum, Capucinum, Religiosum, & Confessarium Lüдовici Regis, non tantum in eodem palatio, cum Cardinale Richelio, sed eodem conclave etiam, Ruellæ commorantem, nec ab eo, nisi cortina intermedia, secretum, adire statuit. Nec imprudenter, si eventus judicio respondisset, id conceperat Secretarius. Quippe ad eum aditu facilius impetrato, gemino simul desiderio sibi satisfactus videbatur; ut qui, ad unum, verba & sermonem directurus, duobus se locuturum, & à duabus etiam se audiendum, nullatenus dubitabat. Nec id eum, herculè, fecellit. Nam & eodem tempore, quo intermittendus erat, una versabantur. Quibus autem, postmodicum, ab invicem digressis, Secretarius vocatus, solennitate prævia, & oscu-

osculo scapulari fixo, hasce litteras, quas, ad eum, à Principe, Basio traditas, supra commemoravimus & à me, quoad fieri potuit, de verbo ad verbum, latio donatas, ejus dexteræ consignavit.

Admodum Reverende Pater.

S Ignifico E notum facio suæ Majestati. E Do-
mino Cardinali Richelio, per Andream Ba-
sium Secretarium meum, qualiter, 9. currentis hu-
jus Mensis, in portu Buccarensi, minis. E tor-
mentorum, in Nos. E Genuensis Reipublicæ tri-
remem, in qua navigabamus. directione, in ter-
ram coacti, detenti, E, à Ministris suæ Majesta-
tis, parum honorifice, tractatisimus. Quæ tanta
novitas ut non mediocriter animum meum per-
cellit, sic summopere in admirationem rapit. Pra-
sertim cum animorum illa conjunctio, amicitia
illa, quæ inter Majestatem suam Regem Fran-
ciae, E Fratrem meum Regem Poloniae, hucusq;
fuit, E etiamnum perseverat, talia mihi, in ter-
ris suæ Majestatis, pollicetur: qualia in Nostris,
illius subditi E vasalli, despectu tamen E deten-
tione procul, experiri consueverunt. Nec Res-
publica Genuensis etiam horum aliquid, quod ad
morem, consuetudinem, ritus, inter eam, E Co-
ronam Gallicam, observari E celebrari solitos,

facere videbatur, ulla tenus intermisit. Ubique
solemnitates ordinarias servavit, portus omnes
maritimos, bina explosione, salutavit, triremis
sequacem cymbam ad Praefectum loci direxit, &
peregrinum Regis Poloniæ legatum esse, certio-
rem fecit. Sic ut etiam, hac ex parte, nulla cau-
sa, aut occasio, alicujus detentionis, & violentæ
raptationis ultra, è loco in locum, appareat. Hic
Andreas Basius, oretenus, plura referet, quam
hic memorare, & queri, mea dignitas permittat.
Certus autem sum, Reverentiam vestram, to-
tius casus circumstantias omnes, summa cum di-
splicentia intellecturam; nec minori etiam, in quo
omni indignantis, animi sui cum affectione, morti-
ficationes meas, minus Principe dignas, Majesta-
ti suæ, ante oculos positaram: & ea remedia, huic
malo, electuram, quæ, pro prudentia sua singu-
lari, maxime oportuna fore, judicatura sit. Quod
de Paternitate vestra omnino confidens, eidem
omnia prospéra à Divina Majestate voveo, &
maneo, in posterum omnifavore

Paternitati vestræ

Balone, Anno 1638.

die 30 May.

Addictissimus

JOHANNES CASIMIRUS

Princeps.

Inde

Inde Basilius totius rei seriei, infirmitatem, nauseam, tempestates, ventos, procelas, maris fretique Leonis inclem tam, & rationes omnes, ob quas Poloniae Princeps, ad S. Turpinum Provinciam intrasset; quam præpostere, cum Genuensis Reipublicæ triremis, ut amica, dato utrinq; & accepto symbo lo, in fauibus portuq; Turris *de Bouc*, recepta esset, ut inimica tamen postea, evocato per fraudem ejus præfecto, & detento, habita fuisset; quomodo, quibus dolis, qua vio lentia, quibus minis, re' inquere triremi, calcare terram, & intrare castellum, Princeps coactus; & quam rigidè & indecorè, quinque dierum spatio, in vilissimo fornice, inibi tractatus esset, fusi us enarravit. Tandemq; omnia illa, quibus sui Principis celsitudinem, aut spretam, aut violatam, existimabat, usq; horam illam, qua Salona profectus fuerat, subjunxit. Quibus ordine relatis, Confessarium rogavit, ut, authoritate sua interposita, Richelium Cardinalem, ipsumq; Regem Christianissimum, eo disponere dignaretur, ut cognato Principi, nullius cum injuria aut danino peregrinanti, propositum iter prosequi indulgeret.

*Queritur de
injurijs.*

Patrio Jose-
phi responsū.

Confessarius, litteris Principis pluries osculatis, longa periodo, summæ commiserationis & indignationis mixtim specie phalerata, modis omnibus, ore, vultu, manu, capite, displicentiam profitebatur. Se etiame tempore, quo, ad Provinciæ Gubernatorem, detentionem Principis justam esse, scriptum esset, valetudine minus prospera, à Republicæ negotiis (à quibus in totum absolvī mallet) distractum, omnium insciū extitisse; adeoq; & hujus severioris consilii participem non fuisse. Nunc autem, postquam facta infecta fieri impossibile esset, omni se meliori modo, cunctisq; viribus suis, eo laboraturum, ut, quæ jam reprehendi possent, quantocius corrigerentur. Plurimum enim se Domui illi Regiæ, ob amicitiam, quæ sibi, cum Sigismundo III, Glor: Mem:, intercessisset, obligatum esse: utpote cuius gratiosissimas & humanissimas plures litteras, non exigui thesauri instar, sanctiori scrinio servaret. Quamobrem optima quæq;, à devotione sua, sibi polliceretur: in obsequiis enim tantæ Domus se nullatenus posse negligentem esse. Insinuaturum omnia, prima occasione, Richelio Cardinali, & procuraturum insuper ut pri-

CARCER GALLICUS.

61

primo quoq; tempore, ejus gratissimas aures,
& satisfactionem in omnibus esset habiturus.

Secretarius, licet, in eadem camera, Cardinalem, pariter omnia intellexisse; nec illi se minus, quam Josepho Capucino, locutum esse, non ignoraret, nihilominus tamen, motu solito, & aulam frequentare, &, destinato tempore, præsto esse, non destitit. Sed parum illi, præter omnem expectationem, sedulitas sua profuit; Quippe, præscripta hora, continuis diebus aliquot, comparenti, causa semper & occasio non servandi, & se speciosius excusandi, tam ab ipso Confessario, quam Domino de Nojer (cui identidem se applicaverat) inventa est. Sic ut Basilius, continuæ procrastinationis, & frustraneæ cursitationis tædio, in alterationem præcepit, utriq; tandem, mirabiliter minusq; candide, secum procedi, quereretur; adeoq; essetne præsentiam & aures Cardinalis habiturus, nec ne, scire desiderare. Saltem in eo difficultatem non videre, ad hæc (ut vulgari verbo utar) categoricè responderi. Cui Dominus de Nojer: grayissimas occupationes Regni Cardinali Richelio haud permittere supervenientis distingi. Si esset autem quod scire eum

Secretaria
iterum cura
Nojerio.

desideraret, scripto comprehensum, sibi trāderet se Cardinali, sine mora, porrecturum. Secretarius, præter illa, quæ oretenus referri expedit, unas &c adhuc, à suo Principe, ad Reg. m Christianissimum, habere litteras, respondit; absq; præjudicio tamen (ut ita dicam) audientia, scriptis quædam comprehensa traditurum; prout & subsequentibus aliquot diebus, sed absq; ullo emolumento, fecit.

Genuen: Reipub
licæ Legatum
apud Cardi
nalem variis
rationibus,
libertatem
Principis &
virginis ur
get.

Interviu Secretarius non minus aliorum e: iam Catholicorum Principum legatis, per occasionē, salutatis, eorundem consiliis quoque & intercessionibus, quamvis, ab eventu, ut plurimum irritis, in spem tamen & fiduciam, præsertim autem à Johanne Baptista Saluzio, Genuensis Reipublicæ (ut cuius plurimum quoq; intererat) Legato, apud Regem Christianissimum, ordinario, crebrius allevabatur. Huic enim, cum à Nicolao São li, triremis, in qua navigaverat Princeps, præfecto, fusiorem relationem obtulisset, & ille (publicæ fidei litteris à sua Republica, ut, hac in parte, cum Christianissimo Rege, ejusque Ministris, conferre posset, acceptis) aditum ad Cardinalem, spe citius, impetrasset, hisce

potissimum rationibus, ceu contagiosis quibusdam spiculis, amicitiam, Coronam inter & Rempublicam, tenerime foveri solitam, nunc, opinione ecclerius, sauciatam demonstravit, & restitutionem in integrum urgebat.

1. Detentione triremis, jus gentium, quo cuiq; mare liberum haberetur, violatum.

2. Præfata detentione in leges amicitiaz, quæ inter Regem Christianissimum & Rem publicam Genuensem vigerent, gravius peccatum; cum Respublica eadem, ad Aulam, suæ Majestatis, legatum ordinarium aleret.

3. Eadem etiam detentione fidem publicam laceratam; cum triremis, ante quam portum turris *de Bouc* intrasset, solennitatibus servatis, binâ explosione fœderatum litus salutasse; unaq; reddita, utrinq; sacro symbolo sanctæ amicitiae litatum esset.

4. Quod Gubernator ejusdem Castelli, sub præfata amicitia larva, præfectum suæ triremis, consueto ritu stationem ingressum, ut amicum (cui nonnulla, velut Reipublicæ utilitatem & emolumentum, concernientia, communicaturus esset) ad se invitatum, ut amicum in terram descendenter, & ut amicum etiam castellum subeuntem, mox, nulla

la prævia quæstione, ut hostem & inimicum detinuisse.

5. Quod prædictus Gubernator sineulla causa, præfectum ejusdem triremis, ministrum & membrum Reipublicæ Genuensis; eum & nobilem, & unum è corpore nobilitatis suæ, custodiæ mancipasset.

6. Quod Gubernator jam antea nominatus, præfectum etiam triremis, ad Serenissimam Rempubl: suam scribere prohibuisset, & clam sribentis literas, ad eandem Rempubl. directas, intercepisset.

7. Quod etiam Gubernator idem, sineulla causa, ejusdem Reipubl: triremem, tormentis bellicis lacerare, & mergere minatus esset.

8. Quod violentâ illâ & hostili Johannis Casimiri Poloniarum & Suecicæ Principis, è Diana, in terram coactione, ejusdem triremis, sic vocatæ, immunitas & libertas; quâ, cu[m] etis in portibus, locisq[ue] maritimis, non secus quam proprio portu & statione propria, gaudere debuerat, summe violata esset.

9. Quod captivitate illa dicti Principis, in Serenissimam Rempubl. jurisdictionem supremumq[ue] dominium, Castellanus temere præsum-

sumpsisset; cum eadem autoritate sola Res-publica triremi suæ alibi, quam in Liguria Genuæ præcesset.

10. Quod eādem violentiâ, in præfatum Principem, inveteratam possessionem Rei-publ: Castellanus etiam turbasset; quâ, inter alia, quoq; cautum esset, ne personæ, quæ in ejusdem Reipublicæ triremibus navigarent, nec à Ministris Regis Christianissimi, nec ab aliis, ulla molestia, afficerentur.

11. Quod deniq; in eundem Poloniae Principem hostilia exercuissent, qui, tanquam peregrinus & hospes, in Serenissimæ ejusdem Reipublicæ triremem receptus, ejus etiam impensis navigasset.

Hic pluscula objicere parantis Saluzij Legati vocem, pronius fluentem, non nihil stitit Cardinalis, & jam objectis, & aliis, in eundem forte sensum, objiciendis, hisce pauculis satisfacere præsumpsit.

In primis quædam in allegatis dubia, suspecta quædam, pleraq; tamen vera non diffi-
teri. Scire enim se leges amicitiæ, Coronam inter & Rempublicam, servari solitas: immunitates & privilegia Reipublicæ non ignorare: agnoscere etiam ejusdem jurisdictionem,

Cardinalis
objectio.

superiumq; Dominum in triremes suas, alibi etiam & in Coronæ portubus existentes. Sic tamen hæc omnia verificari & sacrosancta esse, si, qui veherentur, neutrarum partium, nec earundem terrarum, quarum portus ingrederentur, hostes invenirentur. Nunc vero longe aliam rationem esse. Quippe Johannem Casimirum Austriacum Principem, non ita pridem, sub Cæsare, manifestum Galliæ hostem, nunc etiam hostili animo in Hispaniam navigasse; ut ibi Proregis Lusitaniæ, & omnium Classium Hispanicarum Archithalassii titulo provisus, infestior in Galliam reversus, majori mole hujus rebus incommodaret. Adeoq;, consideratis considerandis, non aliter Galliam facere potuisse, &, quocunq; modo detento Principe, præcavere sibi & securitati suæ prospicere debuisse.

*Hanc Legati
tuo fuse di-
xit.*

Saluzius haud contentus, argumento Cardinalis, fusius, hisce rationibus, satisfacere non dubitavit. Et primo quidem scire se, inter Coronas, Gallicam & Polonicam, Reges Galliæ & Poloniæ, Ludovicum XIII. & Vladislauum IV., amicitiam firmam & constantem, ab antiquo, semper fuisse, & etiamnum perseverare: Adeoq;, pauculas adhuc ante de-

detentionem Principis septimanas, Wilhel-
mum Forbesium Baronem, Vladislai IV. Po-
loniæ Regis Legatum, duobus fere mensibus
Parisis commoratum esse, & ut amicum, re-
ceptum, habitum, & dimissum. Scire se-
etiam Johannem Casimirum Principem ejus-
dem Vladislai IV. Poloniæ Sueciæq; & amici
Regis Fratrem esse. Hunc in Germania, uno
prope mense, Cæsari militasse, & mox, abdi-
cata militia, ut peregrinum, ut hospitem, ut
amicum, Seren: Reipubl: triremem ingre-
sum esse; & ut amicum, nullo in Galliam ho-
stili animo, sed solius Regis consobrinisui vi-
sirandi gratia, in Hispaniam navigasse, etiam
non ignorare. Pro regis vero Lusitaniæ, &
Archithalassici classium Hispanicarum, titulos,
sibi nugas, Gallis autem, si omnino ita vel-
lent, saltem non amplius quam suspiciones
esse. Posito autem, non concesso, etiam præ-
fatum Principem manifestum Galliæ hostem
fuisse, nullatenus tamen, è Seren: Reipubl:
triremi, in terram cogi potuisse. Eas enim
immunitates & privilegia Reipublicæ trire-
mium esse, ut etiam infensissimi hostium, in
ijs, securitate omni, in portibus Gallicis gau-
derent. Quotidiana id experientia satis com-

probari. Quippe singulis propemodum diebus Hispanos natos, & Regi suo, in Gallos & Galliam, militantes non tantummodo in tremibus suis, ex ipsa Hispania, Mediolanum secure transfretare, sed in hisce etiam non aliter in portubus Gallicis, quam in plateis viisq; publicis Genuæ versari. Quin imo & recepto more, & consuetudine, non hostes tantum & inimicos, sed reos etiam, & criminis læsa Majestatis in primo capite damnatos, in tremibus, & suæ, & cujuscunq; alterius etiam Reipublicæ, non secus ac in alieno solo, & statu libero alterius ditionis, liberos, tutos, & securos esse, demonstrari. Hoc autem sacrosanctè, etiam in eorum Dominorum, in quos peccassent, portubus & stationibus servari, luce meridiana clarius apparere; cum in omnibus maritimis portubus, in quibus diversorum Dominorum tremes comorarentur, qui in una, & ipsa etiam civitate, deliquissent, in alterius Domini tremem, vel suam, confugientes, mox salvi & liberi pronuntiarentur, & ab omnibus habarentur. Id autem, ad reos etiam, & criminis læsa Majestatis in primo capite damnatos, se extendere, tum aliis, tum nupero quoq; Joh-

han,

hannis Baptista Vassalii exemplo notórium esse. Illum enim, à Serenissima Republica Genuensi, criminis læsæ Majestatis in primo capite reum pronuntiatum & damnatum, in Galliam profugum, & à Regina Matre unius triremis præfectum constitutum, cum eadem, non semel, Genuensem portum, & ipsam Genuensem urbem, tam liberè, quam portum aut urbem Gallicam intrasse, nec à quoquam, hac ex parte, incusari aut ulla molestia affici potuisse. Esse enim triremem, in mari vel aqua consistentem, in sola jurisdicione & statu libero sui Domini; sic ut nulli alteri, excepto eo, in eandem, aliqua jurisdicione & autoritate, præsumere liceret. Si itaque, prædictis ex causis, rationibus, exemplis, tum & aliis, quæ adduci possent, pluribus, etiam criminis læsæ Majestatis in primo capite reos & condemnatos, juxta receptum ubiq; morem, inveteratam & sacrosanctè, in locis omnibus maritimis, per terrarum orbem (quà Christianus esset, partim etiam quà Ethnicus) servari solitam consuetudinem, salvos & liberos esse, in triremibus alterius Domini; & earundem immunitatibus & privilegiis, uti, frui, absq; ulla controveſia,

permitteretur, & permitti etiam debere sanctæ leges & consensus hominum doceret: quanto magis Johannem Casimirum Poloniæ Sueciæq; amici Regis Regniq; Fratrem, Principem, nullius criminis, ne dicam læsa Majestatis, reum; nec delinquentem, nec condemnatum, sed, ad summum, rumore vulgi, & mera solaq; suspicione hostem, salvum & liberum esse in Seren: Reipubl: triremi, ejusq; immunitatibus & privilegiis, uti, frui, decuisse, debuisse, & decere etiam nūni & oportere.

*Cardinalis
objec̄tio al-
tera.*

Interrupit iterum & objecit Cardinalis, Poloniæ Principem in triremi non mansisse, sed ad S. Turpinum Galliam ingressum, &, cum tum maximè ad Hispanam militiam, (quod sibi notum esset) properaret, potissimos Provinciæ portus, munitiones, & castella, scrupulosius lustrasse; quin & Massiliam terra contendisse, ut oportunissimum illum Gallicæ Coronæ portum, ad mare Mediterraneum, curiositate pari visitaret, & loca expugnationi obnoxia temere scrutaretur. Certum autem se esse id cum Republicæ Genuensis scitu non contigisse; adeoq; in triremem quidem minus, ad detinendum verò

Principem plurimum juris Regi Christianissimo fuisse, & etiamnum superesse.

Legatus Reipublicæ, bona venia Cardinalis, hæc paulo aliter se habere, respondit. Nec enim Principem recognoscendi, seu explorandi, sed, ut infirmum, tempestate, vento, fluctibus, & procellis, in nauseam, alterationem, & Gallicam terram actum, reficiendi gratia, in eam descendisse. Ad hoc veredis, nullo architecto militari comite, usum esse. Etiam celeritati tanti Principis, per abrupta & confragrosa, & quidem regia via, vix biduum illud, quod impendisset, suffecisse. Nulla maritima loca, nullas munitiones, & ne Massiliam quidem, quæ munitam, perlustrasse. Equitatione & bidui agitatione fessum, intrasse vesperi, & primo mane, Ecclesia, non vallo, visitata, mox ad portum, scapham, & triremem se recepisse. Posito autem hoc etiam, non concessò, hostili animo Principem Galliam ingressum esse; munitiones, castella, portus, & loca maritima, perlustrasse; ipsumq; Principem mathematices & architectonices non imperitum, singulā docto oculo curiosius notasse, non hinc culpam aliquam in Principem, sed militem & vigiles,

*Hujus solide
legati resu-
tatio.*

qui,

qui, scrupulosius singula rimantem, jam in terra, Gallia, & extra Reipublicæ Genuensis triremem; adeoq; jurisdictionem, constitutum, non detinuissent, redundare. Simulac vero, reliqua terra, se in triremem iterum Reipublicæ Genuensis recepisset; rursus & sui juris, & in alterius jurisdictione fuisse, & quasi, è Gallia & Massilia, in Liguriam & Genuam migrasse; adeoq; in statu libero, & alieno velut solo, alibi constitutum, & immunitatibus triremis quasi sacrosanctum, ulterius molestari, cogi, hostilibusq; minis, & iniqua detentione violari non debuisse, nec ullatenus etiam potuisse. Inde Saluzius proprius ad Cardinalem, ex conscientia velut & confessione propria jam mitius agentem, versus, libertatem Principis, & restitutionem in integrum, urgere cœpit. Præsertim quod acrius agere à Republica sua ipsi mandatum esset, ne detentio illa Principis, talibus in circumstantiis, pessimum in exemplum cederet, in consequiam traheretur, & immunitatibus & privilegiis Reipublicæ, ejusq; triremium, in æternum præjudicaret. Hinc, ut dixi, fervidius instare, & restitutionem in integrum postulare cœpit. Rogare etiam Cardinalem, ut, autho-

authoritate sua, quod non adeo jam difficile esset, opitulari justitiæ dignaretur. Cum enim, præfatis è rationibus, jurisdictionem, privilegia, & immunitates, Reipublicæ suæ, gravissimè violatas, perspicuè appareret, excusationis & dilationis etiam ulterioris causas procul esse. Sed Principem, cum suis omnibus, ut & pariter triremem, in eum statum restituendam esse, in quo Nargonius Castellanus, portum faucesq; Marteguenses, è mari libero, ingredientem, primo reperisset. Nullo alio enim remedio Regem Christianissimum huic tam magno vulneri mederi posse.

Ad hæc Cardinalis, allatas rationes non exigui momenti se fateri dixit. Et quantum quideni ad triremem Seren: Reipubl: spectaret, Majestatem suam jam ordinasse & mandasse, ut ea, cum Præfecto suo, libertati pristinæ restitueretur; quantum ad Principem vero, se, dictis rationibus non omissis, cum Majestate sua etiam collaturum. Nec dubitare, quin illa (ut pote quæ & æquitatis, & justitiæ cuilibet administrandæ, rationem maximam haberet; & Seren: Reipubl. etiam, in quantum possibile, accommodare, & complacere; se paratissimam semper profitere-

*Cardinalis
responso.*

K tur)

tur) ejusmodi responsum datura esset, quod, pro prudentia sua Regia, & æquissimum & convenientissimum esse judicaret.

Pontificis
conatus, &
litteræ ad
Regem Gal-
lie, pro liber:
Principi.

Verum enim vero sic Andrea Basio Secretario Principis, sic Johanne Baptista Saluzio Genuensis Reipublicæ, aliisq; Catholico-rum Principum Legatis, per occasionem, apud supremos Secretarios, bellicum & Regni. Nojerçium & Chavignium; apud Patrem Josephum Capucinum & Confessarium, apud Richelium Cardinalem, & ipsum etiam Christianissimum Regem, verbis, rationibus, argumentis, super detentione & liberatione Principis, Lutetiæ Parisiorum, Coflanii, Ruelæ, alibi, tumultuantibus; interim detenti ejusdem Principis captiæ; fama, non minus per urbes, regiones, Europam, vaga, paulatim Christianum Orbem perambulabat, & judicia hominum, maxime otiosorum, prout quemq; vel odium vel affectus duceret, variè, ut sit, exercebat. Illi autem quorum intererat, & qui, altius sapientes, rem penitus inspiciebant, indignari partim, partim etiam novitatem rei, & Christianissimi Regis Ludovici justi, in cognatum Principem, jussu mirabantur. Præsertim vero ij, qui cando-

ris,

ris, minime fucati Principis, haud ignari, familiarius eum noverant, & quibus ex rationibus, in Hispaniam iter, ad consobrinum Regem, suscepisset, perspectissimum habebant. Hi oretenus aut literis, prout praesentes vel absentes erant, compati dolere, queri. Adeoq; & ad Galliæ Regem, jam & extra Galliam constituti, & Galliæ tamen alias, ut & Christianissimo Regi, non male volentes, pro libertate Principis, literis loquebantur. Quos inter Urbanus VIII., Pontifex Romanus, primus fuit. Hic enim cum ab Ursio Abbe, Regis Poloniæ, apud eundem Pontificem, Legato ordinario (qui nonnulla Genuæ, cum Poloniæ Principe oretenus contulerat, & tum Parmæ, quorundam negotiorum gratia, commorabatur) ejusdem Principis detentionem, per veredarium, ad se cum literis desuper expresse missum, cognovisset, statim ad Bolognetium Asculanensem Episcopum, Nuntium suum ordinarium Lutetiae commorantem, tabellarium cum hisce literis, Regi Christianissimo tradendis, expedivit.

VRBANVS P.P. VIII.

Charissimo in Christo Filio Nostro Ludovi-
co Francorum Regi Christianissimo Apo-
stolicam benedictionem.

Charissime in Christo Fili Noster.

SAlutem & publicam felicitatem in eo maxime
constitui arbitran. ur, ut Catholicorum Prin-
cipum animi firmo amoris vinculo connectantur.
Quod sane pro pastorali nostro munere, studiosissi-
me curare nunquam intermittimus. Majorem
autem in modum cupimus in præsentia mutuum
affectionis, qui Majestati Tuæ, cum charissimo in
Christo Filio Nostro Vladislao Poloniae Rege, huc-
usq; intercessit, nullatenus imminui: quod pro
utriusq; virtute & prudentia Nobis non dubie
pollicemur. Et licet, quemadmodum audivi-
mus, Johannes Casimirus Poloniae Princeps, à
Tuis administris detentus fuerit, non veremur
tamen ne uberrimos jam apud te affinitatis &
amicitiæ fructus expertus sit: ita ut non solum li-
bere ei quoconq; progredi licuerit, verum anti-
quæ benevolentiae magna etiam facta fuerit ac-
cessio. Huc nostra diriguntur vota, tum quod in
primis optemus ut mutua inter Catholicos Prin-
cipes animorum conjunctio conservetur, tum
quod Familiam optimè de Catholicâ Religione
pro-

promeritam, singulari charitate complectamur.
 Mirandum igitur non sit, si eum tibi accurate
 commendamus: summo enim dolore afficeremur,
 ubi aliter, ac speramus, res se haberent. Ne-
 quaquam autem dubitamus, quin à te, in gravi
 hoc negotio, in quo Regia tua humanitas elucere
 plurimum potest, dignum excelsa animi magni-
 tudine consilium suscipiatur. Certe quibus offi-
 ciis ei benignitatem tuam exhibueris, iisdem opta-
 tissimum nobis afferes solatum; qui Majestati
 Tuæ amantissime benedicimus. Datum Romæ,
 die XII. Junij, Anno 1638.

Hasce litteras Bolognetius cum accepisset, non distulit aditū ad Regē & Cardinalem Richelium ambire: sed tum aliud erat, quod sedulitatem, & omnem conatum ejus, aliquantulum remoraretur. Quippe Rex Christianissimus, Saluzii Genuensis Reipubl: legationibus à Cardinale Richelio relatis, & auditis, quo melius tandem se explicaret, dilato tantisper eo, ad Claudium de Mesmes Comitem D' Avaux, suum Septentrionalium Provinciarum Legatum, Hamburgi tum commorantem, veredarium quantocius expedivit. Ut, pereum (scilicet paulo ante, Poloniā inter & Sueciam, vigintisexenna-

Nuncij Apo-
stol: conatus,
pro libertate
Principis
apud Chri-
stian: & hu-
ius responsū.

lium induciarum mediatorem, & tunc totius
fœderis illius, inter se, Suecos, & Protestantes
Principes cum hisce sentientes, directorem
quantæ considerationis Poloniæ Princeps, il-
lius ligæ (ut vulgaribus verbis utar) interes-
sentibus videretur, scisceret. Hoc autem ita
se habuisse Richelius instanti Saluzio fassus
erat, & nonnunquam vero consentiens, com-
munis fama (quæ deinde elegantissimarum li-
terarum, Johannem Lipski Archiepiscopum
Gnesnensem inter & eundem Claudiū de
Mesmes, quas suo loco & tempore insere-
mus, causam & occasionem præbuit) passim
jam tum sparserat; cuius veritatem deinde
subsequentia luce meridiana clarus osten-
derunt. Hunc veredarium ergo (ut ad pro-
positum revertainur) cum responso, & à suo
& legato Suecico, Rex Christianissimus &
Dux Cardinalis cum intra octiduum expe-
ctarent, & tabellarium summi Pontificis, cum
eiusdem litteris, ut non vane suspicabantur,
intercessionalibus, ad Bolognetium venisse
intellexissent, eundem, ut dixi, aditum ad
Regem jugiter petentem, codem astu, usq;
eo, variis artibus, differre placuit. Sed Bolo-
gnetius, differri continuo indignatus, tandem

præ-

prætextus omnes, authoritate Pontificis elu-
sit, &, ante redditum veredarii, ipsius Chri-
stianissimi præsentiam impetravit. Cui, lit-
teris Apostolicis manu propria porrectis, jux-
ta Pontificis & Barbarini Cardinalis ordinem
præscriptum, multa questus, plurimum ore-
tenus, pro libertate Principis, intercessit. Sed
distraetus Rex, & quid suus cum legato Sue-
cico, responsurus esset, adhuc ignarus, ad ve-
tera, rumores vulgi, suspiciones, & inanem
famam, denuo relapsus, Principem hostili
animo, è triremi, in Regnum suum descen-
dentem, Provinciam & portus ejus; ut & lo-
ca maritima, castella, munitiones, & Massi-
liam ipsam, perlustrasse; in Hispaniam ad Re-
gem hostem, ut, Proregis & Archithalassi ti-
tulo, potentius in se, suamq; Galliam, arma-
retur, iter direxisse. Hinc securitati suæ con-
sulere debuisse & debere, ne Princeps, jam
locorum, & totius pene Massiliensis sinus,
gnarus, manifesto periculo suo, in Hispaniam
navigaret. Nescire autem, & plurimum du-
bitare, an summus Pontifex, de hisce omni-
bus, probe informatus esset. Ad hæc Bolo-
gne ius, Sanctitatem suam, nisi candorem &
synceritatem integerimi Principis perspe-
ctissi,

Etissimam habuisset, nullatenus cujusquam intercessione, ad interponendam authoritatem suam, animum inclinaturam fuisse. Adeoq; hac sola fretam, has intercessionales litteras, ut communem patrem Filiorum concordiam anhelantem, direxisse, & dimissionem Principis, minime indigna metiti, petere perseverare. Rex autem, in ejusmodi consequentiæ rebus, non posse ullatenus nisi æquitatis & justiciæ rationem haberí, replicavit, nec ultra quicquam Bolognetio, nec post, ad tempus aliquot, cuiquam alteri respondit. Mox enim rationum & intercessionum, ad septimanas aliquot, ex insperato, ferriæ successerunt.

Rex Christ:
Parisii di-
stedit.

Quippe Galli, Cæsarianis & Hispanis, hostibus, Campania & Picardia jam exactis; Corbia, Chasteletto, aliisq; oppidis recuperatis; Damvillerio & Landresio, superiori anno, Hispano-Belgio detractis, cum hujus anni Martium, Imperatoris exercitu ingenti prælio ad Buquenum fuso, quatuor summis militum præfectis, Enkenfordio, Sperreutero, Savellio, & Johanne De Werdio, captis, nobilissima victoria consecrassent: quin &, Rheno duobus pontibus subjugato, Brisa-

cum

cum, Priscaviæ Dominam & Alsatiæ clavim,
arctius obsedissent, propitiam Fortunam por-
ro augurantes, ad arma prouius ferebantur,
Adeoq; Batavis, ad Calloam, Castellum Ma-
rianum prementibus, ipsi, sub Forcio & Cha-
stillionæo summis exercituum præfectis, S.
Audomarum in Flandria obſidione claue-
rant. In eventum ejus arrecta Gallia, cum
Ferdinandus Cardinalis, Regis Hispaniarum,
Frater, forti & ipſe coadunato exercitu, ad-
juncto ſibi Picolomineo, in caſtra tentaturus
aliquid (ut & poſtea, magno cum Gallorum
damno, factum eſt) videretur, Rex Christia-
nissimus, ut præſentia ſua (quousq; ſui conti-
nuo aggere, vallo, fossis, castellis, propugna-
culis, stationibus, & loricis, tuti; & commea-
tu, annonā, pulvere, & aliis requiſitis omni-
bus, ad menses aliquor, proviſi eſſent) pro-
pius ad eſſet, cum Richelio Cardinale, Am-
bianum movit. Ne autem circa alia, ſpem,
metum, Martem, & Bellonam, occupatus:
tum aliis, tum Poloniæ Principis odiosis in-
terceſſionibus distraheretur, omnibus Ca-
tholicorum Principum Rerumq; publica-
rum ordinariis legatis ſe, Lutetia relictā, ſe-
qui, expreſſe inhiberi fecit; utpote, firmitatis

provisisq; castris, intra quatuor septimanas
reversurum.

*Spes vana
quedam li-
berationis
Principi fa-
da.*

Sic itaq;, Rege & Cardinale procul, ni-
hil neglecto Principi (qui, à nullo adhuc
judice auditus, ut reus tamen & captivus,
Salonæ interim, à Chantarena, jam suarum
magis, quam Valesii Provinciæ Gubernato-
rem, custodiarum præfecto, severius, modis-
que Principe minus dignis, habebatur) in so-
latium procurari potuit: nisi quod Secreta-
rius ejus (qui, præsente Rege & Cardinale, per
Josephum patrem, per Chavignum, per No-
jercium, per alios quoscunq; oportunos judi-
casset, audiri hucusq; frustra sollicitaverat) in
absentia eorundem, à primario Prælato,
Cardinali familiarissimo, & cui hæc non
ignota esse poterant, Poloniæ Principem,,
non ultra expeditionem illam Anni 1638, de-
tinendum; eaq; finita, libertati pristinæ, de-
bito cum honore, restituendum, per occa-
sionem inaudisset. Quibus etsi Secretarius,
crebrioribus aulicismis jam non cuilibet au-
scultare doctus, omnem fidem haud adhibe-
ret; tamen hæc & ab Ecclesiastico, & à pri-
mario viro, taliq; præsule, se audivisse, scri-
bere Principi, ejusdemq; judicio saltem
com-

committere non neglexit. Et Princeps (ut oppressis & calamitosis quidvis credere, quod sperare licet, proclive est) rem non aliter se habere, prorsus confidebat. Et fuisse tum etiam sic ab iis, quos penes Galliarum regimen erat, constitutum, sed nova mox ex suspicione mutatum, licet negantibus aliis, plures postea tamen consentiebant. Ego ut de re incerta nihil temere determinare, ita quæ & unde illa suspicio Gallorum animos invaserit, haud præterire possum.

Vladislaus IV. Poloniarum & Sueciæ Rex, Frater Principis, continua fere podagrā debilitatus, cum, incurabilem prope morbum, nulla remedia curarent, pauca lenient, tandem è consilio Medicorum, ad thermas, quatuor milliaribus Viennam ultra sitas, hoc eodē ferè tempore; prono tamen Julio, se conferebat. Hinc Rex Christianissimus, hinc Cardinalis, hinc Capucinus (qui jam, religiosa paupertate procul, non tantum subtiliori panno vestiri totus, sed in palatio quoq; habitare, regaliter pasci, rheda vehi, & Rempublicam curare, quamvis in hæc omnia contraria professus, sueverat) & mox tota Gallia, sub balneorum specie, Regem inter &

*Gallorum su-
spicio de Re-
ge Polon.*

Cæsarem, nova, in Coronam Gallicam, fœdera, bellum acrius, & detenti despectiꝝ; Principis vindictam, suspicari. Hoc summi, medii, infimi, passim dicere, affirmare; & otiosa plebs, cuiusvis novitatis avida, passim & incomptis eructare. Adeoꝝ; altas, hæc suspicio, in eorum animis, deinde radices egit, ut nullis postea rationibus, aut contrariis argumentis, & ne fibræ quidem ejus, nisi interposta Regis, Regni, Reipublicæ, ipsiusq; Principis cautione de non vindicando, idem etiam, per veredarium Regis Christianissimi Hamburgo remissum, Claudio de Mesmes, cum Legato Suecico, suadente, evelli potuerint. Hinc ergo, Principe scrupulosius etiam observari jussò, id, quod dixi, de eo, expeditione Anni 1638 finita, dimittendo, vero aut falso, assertum, sparsum, & vulgatum, ea saltet occasione, & his suspicionibus, quasi jam non sua, sed Sarmatiæ ipsius, humanitatis & benevolentia suæ conceptam gratiam præcipitantis, & præmature in se præparantis armæ, culpa interverti, crepuerunt.

Rex Polonia
Desicium cū

Interim ad Vladislauum Regem, nondum adhuc Varsavia tum profectum, jam tamen ad iter illud Austriacum se præparan-

parantem, inopinatus fraternæ detentionis nuntius pervenit; quo, ejusdem integratatis gnarus, cum tota aula, in non modicam admirationem raptus, mox adolescentem Nobilem, Secretarium suum, Petrum de Dēbe Dēbski, cum litteris, ad Christianissimum Regem, & Richelium Cardinalem (quas suo loco inseremus) in Galliam expedivit. Placuit enim hisce queri, & causas, quas Rex quidem non videbat, alias tamen esse à levioris & temere sagacis vulgi fama, absq; ullo fundamento sparsa oportere existimabat, inquirere, & allegata innocentia, detentionis auctoribus punitis, restitutionem in integrum urgere.

Quibus literis præfatus Nobilis instrutus, eodem tempore, quo Rex Viennam, Dantisco in Hollandiam profectus, & per Hispano-Belgium, recta via, in Galliam festinans, Peronæ in limitibus Cardinalem solum, & novercantis Fortunæ vicissitudinibus subinde morosiorem, reperit. Quippe Rex, Batavis ad Colloam magna strage victis & oppressis, suis etiam, sub Forcio & Chastillione, omni expectatione celerius, ad S. Audomarum, à Ferdinando Cardinale & Pico-

*litteris ad
Reg: Gal: &
Card:mittit*

*Debski
Cardinali
litteras Re-
gias porrigit.*

lomineo, propugnaculis, castellis, stationibus, totaq; obsidione, turpius ejecsis, fugatis, cæsis, fractis, etiam, ante præfinitum tempus, Lutetiam se receperat: & Richelium Cardinalem, ut Picardiam vicinasq; Provincias, ex crudo adhuc vulnere metu saucias & consternatas, sua saltēm præsentia confirmaret, Peronæ reliquerat. Qui & injuncto sibi muneri, hic diutius etiam moratus, tandem satifecit. Hic itaq; præfatus Debski, post biddenum, ex quo venerat, ad Cardinalem aditu impetrato, hasce Vladislai Regis sui litteras, ejus manibus consignavit.

VLA DISL AVS IV. Dei gratia,
Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensiæ, Czernichoviæque; nec non Suecorum, Gothorum, Wandalorumq; hæreditarius Rex. Illustrissimo & Reverendissimo
in Christo patri, Domino Armando, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Richelieu, Amico Nostro charissimo & honorando,

Salutem & omnem felicitatem.

Illustrissime & Reverendissime in Christo Pater, Amice Noster charissime & honorande,

Præ-

PRæter omnem expectationem nostram accidit, ut dum Serenissimus Princeps Johannes Casinirus Frater Noster charissimus, ad maritatem Serenissimi Galliarum Regis cognati & Affinis Nostrischarissimi oram & littus appelleret, non tam in tutam tranquillitat is stationem, quam in obviam severæ jurisdictionis tempestatem incideret. Duriter enim acceptus, & custodie protinus additus, illustre sane, in hoc Fortune jugo, documentum prebet, quam iniquum sit, extrapatrum solum, insolentiæ cum innocentia, & securitatis cum temeritate, certamen. Quam vero ob causam, in has conjectus angustias, in iis difficultatibus hæserit, conjectura assequi non possumus. Conscijsane sumus nihil tale à Nobis ortum esse, quod Serenissimum Fratrem Nostrum, ijs perturbationum fluctibus, obnoxium redderet: nec ab ipso quicquam profectum existimamus quod importunam adeo pœnam mereretur. Cum vero & multiplies cognatis sanguinis nexus, & tot argumentis explorata fraternæ benevolentie studia, quæ Nobis vicissim debemus, facile Nobis persuadent, id citra Serenissimi Galliarum Regis, cognati & Affinis Nostrischarissimi, notitiam contigisse, nec legitimum Regio sanguini observantiæ cultum defuisse, ac sine Nostrarum inter-

ven-

ventul litterarum, cum jam pridem solutas & ex-plicatas habere rationes, non temere credamus, has tamen ad Illustratem vestram dare volui-mus, benigne ab Illustrate vestra requirentes, ut nec ipsius Magistratus insolentia impune id perpetrasse, nec nos frustra apud Serenissimum Regem, cognatum & Affinem Nostrum charissi-mum, queri videamur. Faciet rem Illustritas vestra, & Nostræ expectationi, & ipsi justitiae consentaneam, & à Nobis paribus humanitatis officiis, cum usus & occasio tulerit, Illustrati vestre referendam; cui diuturnam valetudinem à Deo precamur. Varsaviæ die XII Mensis Ju-lij, Anno Domini M, DC, XXXVIII, Regnorum nostrorum, Poloniæ VI, Sueciæ vero VII Anno.

*Cardinalis
responsu.*

Perle &c hisce litteris Cardinalis, ad illa-jam saepius memorata revolutus, haud mi-randum, ait. Poloniæ Principem, absq; pu-blicæ securitatis litteris, portus Gallicos, imo Galliam ipsam, ea parte qua maxime Hispa-nis classibus oportuna esset, intrantem; ca-stella, munitiones, & Provinciæ totius metro-polim, empóriumq; celeberrimum, Massiliam curiosius lustrantem; & exinde in Hispaniam ipsam, ad Regem hostem, iter, & præ-fecturas ejus; ut & Proregis Lusitaniæ, & Ar-chi-

CARCER GALLICUS.

19

chithalassī classium Hispanicarum titulos meditantem, ad modicum detentum esse? Attamen ob amicitiam, animorum conjunctiōnem, & (ut proprio ipsius verbo utar) correspondentiam, quæ inter Galliam & Poloniā ab antiquo esset, & etiamnum perseveraret. Majestatem suam Regem Christianissimum, Poloniæ Principem dimissurum; ea, tamen conditione ut in Poloniā revertetur. Quod Nuntio Regio acceptante, illico subjunxit Cardinalis, se spe magna & fiducia quadam ductum quidem id promittere, sed, quoniam solus, hac in parte, determinare quicquam & concludere haud præsumeret, ad Majestatem suam, Parisios illi eundum, esse; à qua ultimariam voluntatem, & plenariam satisfactionem, & auditurus, & habiturus esset. Intertim Nobilem aliquem primarium, qui Seren: Johannem Casimirum Poloniæ Principem, Salonæ cum Ludovico Vale, sio Comite, Provinciæ Gubernatore, quotidiani venationibus, equestribus exercitijs, aliisq; celsitudini & dignitati ejus convenientibus, recreationibus vacantem, cum coinviseret, in provinciam alegandum.

Cum, hac omnia non displicere sibi,

M

D&b.

Debscio mi-
nucandi de-
dimiso Galli
causadeten-
ti Principis
divulgant.

Debscius, rem non aliter se habere penitus
persuasus, ostendisset, Peronâ Lutetiam di-
scendenti litteras commendatitias pro aditu
ad Regem Christianissimum, & expeditione
facili concilianda, ad Chavignum, supre-
num Secretarium Regni, communicavit;
quæ deinde tanti ponderis & earum virium
fuere, ut, antequam Vladislai ad Ludovi-
cum, Regis ad Regem litteras, Christianissi-
mo tradere impetraret, prope tempus duo-
rum mensium elaberetur. **Q**uin imo tunc
primum, cum Cardinalis Principem liberta-
ti pristinæ restituendum Nuntio Regio pro-
misisset, causæ & occasiones detentionis, an-
tequam Regi ejus insinuarentur, per modum
hebdomadalium relationum (quas Galli No-
velles, Germani Postzeitung, seu Avisen, Ita-
lii Gazzetta vocant) indulgente Christianissi-
mo Rege, Parisiis vulgatae sunt. Quas è Galli-
co in Germanicum fideliter translatas, ego
rursus, integritate pari, latio donatas, lecto-
ri curioso hic subiçio.

Causæ & oc-
casiones de-
tentionis
Principis à
Galli vul-
gata.

Postquam diversorum hominum, de capti-
vitate Johannis Casimiri Principis, Fratris Po-
lonie Regis, diversa passim referentium, infor-
matione varia, quid cuique potius credendum, flu-
tuaua.

Et uare plurimos compertum est, gravitate rei sic
exigente, hanc relationem bono publico vulgare
visum fuit. Cum Princeps hic, omni occasione,
ingentem erga Domum Austriacam zelum, prom-
pto armorum suorum usu, jugiter ostendisset, ma-
numq; maximam illorum Zaporovienium, tu-
multu crebro & rebellione celebrium, Cosacorum,
jam dudum in servitium Regis Hispaniarum co-
Etiam, à Borysthene & Ponto, Euxino adduxisset.
ut cum iis, armorum beneficio, in Galliam pene-
traret, initio superioris anni præfectura Portu-
gallæ provisus est. Vix autem, ut in qualitate
Proregis decentius compareret, se præpararat,
quin mox alia quoq; præfectura militari se ob-
stringere determinaret. In hunc finem perso-
nas sexaginta, & inter has (ut de reliquis auli-
cis ejus taceam, qui tamen omnes ad propo-
tum ejus habiles fuerunt) Konopatscium, virum,
tum naturæ beneficio, tum experientia magistra
rerum, in omnia formatum, & lingua Gallicæ
(ut qui hoc in Regno multo tempore commoratus
fuit) peritissimum, assumpsit. Cum quibus omni-
bus, incognitus Italiam ingressus, Mediolani sum-
mo cum honore, exceptus est. Oculo etiam tric-
mes illas, ultro pro transfretatione in Hispaniam
oblatas, recusavit, & Genuensis Reipublicæ tri-

remem, suo proposito, aliena explorandi (prout in magna parte Provinciae & portubus ejus fecit) magis oportunam, ingressus est. Quamprimum ergo Genuensi portu solvit, S. Margarethæ insulam lustravit. Cumq; ad S. Turpinum, recessum aliquem, quo triremis aliquantò tempore abscondetur, invenisset, biduum lustrando portui, Civitati, cunctisq; locis notatu dignis, sedulo impendit: hoc etiam inter cetera non neglecto, ut ipse solitus manens, suos omnes diversis hospitijs segregaret. Quin etiā, ad suspiciones quaslibet, quenquam suæ dignitatis præsentem esse, levandas & evitandas, ut ejusdem conditionis familiares jugiter unà versabantur. Caverat enim Princeps, ne quispiam è suis, toto hoc itinere, in prandio, cæna, alibi, honorem, sibi exhiberi solitum, deferret. A S. Turpino, ut terra, cum suorum paucis, Massiliam equitaret, vel tempestas, vel nausea marina, vel alia ignota quædam causa, eum movit. Quo in itinere Telonem Martium desflexit, ibi q; quinta die, Civitatis situm, portum, munitiones, & naves Regias, scrupulose visitans, tandem Massiliam perrexit, eiq; urbi, tam intra quam extra mœnia, curiosius lustrandæ, quatriuum impendit. Interim triremis ejus, die integrâ in portu Alla citta commorata, inde ad castellum

If vela fecit, ibi⁹ comitatus ejus in terram descendens, mox ab invicem, in plura sed modica consortia, variè segregatus, diversoria Massilien-sis urbis occupavit; nec ex eo plures unquam una commorari, quam tres, visi sunt. Insequentis diei mane, quæ⁹ erat Mensis Maij, ceu incogniti Speregrini, unus post alterum, cum suo Principe, triremem iterum omnes ingressi sunt, & circa meridiem portum Turris de Bouc (qui Hispaniam & Barcinonem versus, Provinciæ postremus est) intrantes, consueto more & simulatione solita, in oppositum oppidum Martegues dixerunt. Cum autem in locis omnibus, in quibus fuerant, jam proditi essent, veredarius Comitis Valesii Provinciæ Gubernatoris, cum litteris credentia libus à Domino Champinio, ad Dominum Nargonium ejusdem loci præfectum, cum ejusmodi mandatis supervenit; ut quoquo meliori modo Genuensis Reipublicæ triremem, cum personis in ea omnibus alicujus conditionis, & præser-tim Johannem Casimirum Poloniæ Principem (qui, licet dignitatem nomine & persona aliena- tegeret, ab iis tamen qui in Polonia aliquando fuerant, jam agnitus & notatus esset) in potestatem suam redigere ne tardaret. Hic præfectus, cui proœcta etas, in rebus ejusmodi, experientiam

sufficientem dederat, mox sex grandiores machinas (Basternas nominatas) portum versus direxit. Ne autem vim parare videretur, nec occasionem vel causam ullam suspicandi (ne forte qui in triremi erant, hac animadversa, levatis anchoris, mare versus remigarent) circumspiciens tibus præberet, tormenta illa bellica, ad id ordinatis coribus terra plenis, texit & abscondit, & præsidiarios ea cautela in ordines digessit, ut, præter excubias & vigiles ordinarios, nullus horum notari posset. Ipse etiam in extremitatem exigui propugnaculi, ad littus siti, in persona propria concessit. Inde ad præfectum triremis misit descendere ne gravaretur, de piratis Algerianis & Byssertanis nonnulla sese, quæ scire ejus plurimunq[ue] interesset, communicaturum. Quo se excusante Gubernator iterum & tertio rogare non destitut, quoadusq[ue] præfектus triremis, in aliam mentem actus, in scapham littusq[ue] descenderet, & in castellum deduceretur. Post eum Konopatscius, qui Legatum se Regium venditabat, & tandem ipse Princeps, cum aulicis & officialibus suis præcipuis viginti quatuor, pari calliditate in scapham littusq[ue] tracti, castellum subierunt. Quibus deinde Gubernator exhibitæ civilitatis suæ gustum reddidit, & lamentationibus corum ob-

vian-

vianido, ejus status, conditionis, & qualitatis personam, absq; publicæ securitatis litteris, hoc regnum ingredi, ut fecisset ille, non oportere, Principi insinuavit.

Hæc autem ut congruant veritati, quoniam è supra memoratis, & ipsius historiæ contextu, lectorum æquum & prudentem perspicue videre jam confidimus, plura de hisce dicere supervacaneum existimamus. Neq; enim in re clarissima, apologiam scribere necessarium est, veltam, augusta manifestæ veritatis majestate prostituta, hisce futilibus & frivolis respondere. Quis enim unquam Johannem Casimirum Poloniæ & Sueciæ Principem, cum Zaporoviensibus Cosacis, aut Gallorum, aut Germanorū etiam, in Germania vidit? Jam Johannem Carolum Comitem Konopatscium, verè Legatum Regium, & spiritus etiam & generositatis Regiæ virum, nec se alium, aut ultra dignitatem unquam leviter venditatem, & summæ dexteritatis, & in Gallia, & Gallicæ lingua gnarum suisse, non ignoramus: sed hoc etiam, non explorandi, sed studiorum gratia, olim Parisiis commoratum: sed integræ conscientiæ, nec fago sed togæ natum; quiq; data cælo indole, & pru-

In plerūq;
false ostenduntur.

& prudentia sua, in quantum quidem humanæ conditionis sensus patiuntur, Divinæ æmula; tum & altis sapientiæ præceptis, ad concordiam potius & unitatem, quam cognata, præsertim Christianorum arma, humanum genus disposuisset. Certum etiam è comitatu, triginta sex non sexaginta personarum, nullum professione militem fuisse; nec arma nisi in defensionem, & injurias, suas & aliorum, propulsandas, more Nobilium, lateri accinxisse. Sed hæc, & plura hisce similia, fingere & vulgare placuit, ne detentio illa Principis, qualis erat, esse videatur,

*Principis Ro.
low: manda-
ta ad Secret:
sum, & lit-
teræ ad sum:
Pont:*

Interim Salonæ Princeps non tantum arctius, sed manifesto etiam ipsius vitæ suæ cum periculo, custodiebatur. Nam, peste suum, passim urbem populante, contagiosa illa lues, familiam Principis etiam invadens, Henricum Korffium Nobilem & Cubicularium suum, cum formidine, metu, & dolore omnium, viginti quatuor horarum spatio, ad plures rapuit. Quare Princeps, tam vicio malo, & vitæ periculo, cum reliquis consternatus, cum, expeditione Anni 1638 jam finita, & Rege Parisios reverso, nihil horum quo-

quorum Prælatus (de quo supra) spem fece-
rat, in effectum deduci; se etiam indecentius,
& cum manifesto jam ipsius viæ periculo,
servari videret, Basio Secretario suo scripsit,
ut Cardinalis, & reliquorum Ministrorum
Regiorum, redditu non expectato, & frustra-
tories quæsito, aditu neglecto, se ipsi Regi
quoquo modo insinuare, & propriis ejus ma-
nibus, litteras (quas abeunti dederat, & pau-
lo infra subijcimus) tradere, & præsentem
rerum suarum statum, tum & periculum, in
quo versaretur, explicare, & Regem Chri-
stianissimum, de detentione sua violenta, de-
spectu, injuriis, & quam indecenter à Mini-
stris ejus haberetur, plenius informare, non
dubitaret. Simul etiam, hisce litteris clam-
Romam directis, summo Pontifici, quem
pro se intercessisse, ab eodem Secretario suo
jam didicerat, gratias egit.

Beatissime Pater,

Duo acerba mihi contigere in hac innocentia
captivitate meas unum, quod tam in perso-
na, quam per litteras, prohiberer dare satisfa-
ctionem Regi Galliae, eorum quorum incusabar;
secundum, quod non sim permissus indicare ulti-
meorum, hanc calamitatem meam, multo minus ab

externo aliquo consilium aut opem implorare.
Prævertit Sanctitas vestra, non vota, sed merita mea, interpellando pro me apud Christianissimum Regem. Quam paternam sollicitudinem, aeterna prosequar semper gratitudine, quamvis apud animum præoccupatum minus efficax exsisterit. Nescio quid unquam vel ego, vel meorum quispiam deliquerit in Domum Borboniam, quod tanta castigatione expiem. Privatae rationes me in Hispaniam; tedium maris in hospitium, non portum Gallicum, impulit: utrumq[ue] compasione, non punitione dignum. Hinc tamen accusor hostis Gallorum, Et explorator Regis Hispaniarum. Miror hæc aliquid momenti habere apud illos qui me Principem norunt, Et quidem liberum nulliq[ue] adstrictum. Quæ utilitas me Gallicum esse hostem? Quæ dignitas me Regis Hispaniarum esse exploratorem? Affligor intime, Beatisse Pater, me obtam frivola, quartum jam teneri Mensem; morosi Decurionis subijci imperio; angustis includi parietibus; Et custodiri ut reus læsa Majestatis, nec ab ullo honesto visitari. Impetravit tandem ut ex meis aliquem, cum informatione, ad Curiam mitterem: feci, scripsiq[ue] manu propria, Regi, Reginae, Cardinali, Et Capucinov; penes hos enim intellexi regimen esse Gal-

lia-

CARCER GALLICUS.

¶

Iiarum. Verum, à 6. Junij, hucusq; nec Secretarius meus potuit habere audiencem, nisi apud Capucinum, nec ego, vel à minimo horum, ad meas responsum. Quamvis hic neglectus, siue contemptus, multum me afficiat, attamen supra modum dolorem auget, quod Eminentissimus Cardinalis nuper responderit Genuensem Residenti, se Hamburgum scripsisse, ad Suecorum Agentem, ut is à Suecis intelligat, num persona mea aliquid ob sit, aut obesse possit, bono Regni Sueciae, cœterisq; Confederatis Galliarum. Novit Sanctitas Vestræ, non alio titulo nos excludi ab hereditaria Suecia, nisi Religionis Catholicæ nec id ignotum Sanctitati Vestræ, quomodo nuper, agentibus Gallis, viginti sex annorum inducijs, circumventi & prohibitis simus, à repetenda, ad tempus, patria hereditate. Quid hic agent Sueci de me, qui solus fere supersum, in quo spes adeundi hereditatem olim vigere potest? Quam inique autem ab Eminentissimo Cardinale, parricidis obijciar, Sanctitas Vestræ consideret. Vel enim, ejurare jus & titulum Regni, me Sueci cogent, vel efflare animam. Vindici Deo committo hanç meam, Domusque meæ Regiae injuriam; de qua, apud solam Sanctitatem Vestræ, conqueri, mihi licitum putavi, confidentia paterni affectus motus; à quo ut nun-

quam deserar, sed æternum conserver, humili-
me, ad pedes Sanctitatis Vestræ me prosternens,
eosq; exosculans, oro & obsecro,

Sanctitatis Vestræ,

Salone Anno 1638

1 Augusti.

Obedientissimus Filius,

**JOHANNES CASIMIRUS
PRINCEPS.**

Ejusdem litteræ ad Nuntium Apostol: Parisiensem.

Bolognetium autem Nuntium Apostolicum & Episcopum Asulanensem, quem Pontificis litteras Regi tradidisse, & pro liberatione sua zelosius egisse, & locutum esse, ab eodem Secretario suo acceperat, ad perver-
randum in ea benevolentia, hisce litteris ani-
mavit.

Illustrissime Reverendissime Domine.

Intraxi ex litteris Secretarij mei, sedulo &
magna cura, Illustrissimam Dominationem Ve-
stram, agere de liberatione mea: pergratum id
mihi, & omni gratitudine, Illustrissimæ Domina-
tioni Vestræ, à me compensandum. Sorti vero
meæ adscribo, quod tantorum hominum patroci-
nia, parum in mea causa, apud Regem Christia-
nissimum valeant; cuius implacabilem offendam,
quomodo vel ego, vel Dominus mea Regia meruerit;

ne-

nescio. Simplici & candido animo descendit ex
tremi in hospitium Gallicum, fatigatus ab agi-
tatione maris: hinc proditor & explorator præ-
sumor, captivus, ab hominum conversatione pro-
hibeatur. Aliud, praeter hoc, crimen nescio, propter
quod, in fortuna, fama, & dignitate, tanta jaetura,
à Rege Christianissimo, afficiatur. Deo & tem-
pori curam innocentiae committo. Illustrissima
Dominatio vestra, ut caput, sic in posterum ad-
huc conetur promovere causam meam, apud Re-
gem Christianissimum; cuius animum flectendum
ad meliorem informationem non dubito. Salutem
Anno 1638. 1. Augusti.

Illustriss. ac Reverendiss. Dominationi Vestræ,
Addictissimus,

JOHANNES CASIMIRUS
PRINCEPS.

Bolognetius, ut desiderio Principis quam-
primum satisfaceret, Regis aditu iterum im-
petrato, acrius pro liberatione ejus instituit.
Sed Rex, repetit is iis, quæ eidem ante dixerat, frustranei.
tantum hoc adjecit; se, cautione sufficienti
interposita, Principem dimissurum. Idem
& Saluzio Genuensis Reipublicæ Legato, &
aliis deinde dictum. Secretarius autem

Nunti⁹ Apoſt.
Saluzij, &
Secretarij
Prin: conatus

exequi jussa sui Principis conatus, sequi Regem, frequentare aulam, & occasionem commodam quotidie venari haud destitit: quam tandem etiam, ad S. Germanum, Rege à Regina ad conclave suum se recipiente, se natum putans, Bassonetio Belga Nobili (quem à Principe, unâ cum Secretario, Parisios missum, supra diximus) sinistro lateri progradientis, & magno Nobilium globo stipati Regis, se applicante, ipse, literas manu levans, ejus dextero se insinuavit. Et profunda reverentia, solenni corporis inclinatione, propius accedens: *Rex Serenissime Domine Clementissime, inquit, hæ sunt litteræ Johannis Casimiri Poloniae Sueciæque Principis, S. R. Majestatis Vestræ cognati & Servitoris, qui juxta ordinem & mandata suæ Majestatis, detentus & duro carcere mancipatus, per me Secretarium juum, Majestatem Vestræ submissæ rogat, ut habeat legere. Ex ijs despectum & rigorem Ministrorum Majestatis Vestræ, intelligere dignetur.* Vix Secretarius hæc paucula elocutus erat, cum Rex, à leva Bassonetium ignotum, & inclinato corpore, pariter supplicantem videns, non receptis literis, subito, ex horum medio, se proripuit, & anteambulonibus, dextera leva-

levaq; in partem aëtis, ad conclave proximum festinans, ejus ostium manu propria aperiens, manu propria pariter post se clausit. Inde custodiarum suarum præfecto, Comite de Trema, arcesseri jussso, cum eo, ad dimidium circiter quadrantem horæ, inambulans, quædā contulit. Quæ, cujus sensus fuerint egressus custodiarū præfectus, mox aperuit. Hic enim Secretarij, in usitatâ hæc, tumultuariò subducentis se Majestatis, facie consternati & stupentis præhensa manu, eumq; in aulam majorem dicens, mirari Majestatem suam audaciam ejus, ait, quâ, tam prope eam accedere, & literas sui Domini tradere, præsumpsisset. Et si forte in Polonia mos ejusmodi inolevisset, apud Regem Christianissimum id inusitatum esse. Quapropter, si ad Majestatem suam literas haberet, Comiti Chavignio, ut supremo Secretario Regni, eas traderet, &, jussu Regio, ad S. Germanū porro ne compareret. Cui Basius, nil à se, quod admirationem Regiam mereretur, profectum videri, respondit, nec aliter, quam fecisset, facere potuisse. Quippe, præsentia Cardinalis toties quæsita & negata, tempori inservire, &, arrepta occasione, Majestati suæ, itinerantis, Cognati, Amici, nunc autem

autem, ex meritis suspicionibus, etiam captivi
Principis, statum aperire debuisse. Præser-
tim cum Salonæ, grassante passim contagiosa
lue, Cubiculario Principis etiam correpto, &
intra horas viginti quatuor, immaturè mor-
tuo, præsens periculum ulteriore moram
haud permitteret. Adeoq; Majestati suæ,
hanc unam gratiam indulgeret, ut Princeps,
Salonâ, in locum alium deductus, manifesto
saltē vitæ periculo subduceretur, supplicia-
turum fuisse. In tali casu & necessitate, imo
minoris etiam momenti, quemlibet suæ Ma-
jestati Regi Poloniæ, non tantum literas &
supplices libellos tradere, sed ore tenus etiam
loqui posse, ut quæ gratiam, & clementiam
suam Regiam, hac in parte, nulli mortalium
negaret. Quod autem, jussu Regio, Princi-
pis sui literas ad Majestatem suam, Comiti
Chavignio primo, seu Magno, Secretario Re-
gni, tradere p̄ticiperetur, id se facturum: ad
S. Germanum vero in posterum non compa-
rere, in hoc se excusari petiit. Non posse
enim non, in hoc à suo Principe ad Regem
Christianissimum ablegatum, ratione deten-
tionis & liberationis ejus, gratiosum respon-
sum sollicitare. Hoc etiam sibi persuadere,

Ma-

Majestatem suam, minime ejus Principis, qui ex clementia ejus Regia indies se libertati pristinæ restituendum sperat, Secretarij præsentiam ægrius laturam. Ad hæc Comes de Trema, quæ dixisset jussu Règis sui se dixisse, id consilij autem etiam à sua parte suppeditare, ne ad S. Germanum, præsertim ad au-
lam Regiam, porro compareret, ne forte im-
pingeret aliquando, & devorare deinde co-
geretur, quæ gustui & palato ejus minime
placerent.

Sic Secretarius expeditus, à Rege, ut jus-
sus erat, ad Chavignum divertit, eiq; tan-
dem hasce litteras, secunda Junij à Principe
ad Regem scriptas, post tanti temporis inter-
vallum, tradidit,

*Secretarius
litteras Prin-
cipis Chav-
ignio tradit.*

Rex Serenissime Domine Cognate &
Affinis Charissime.

Mensis clapsus est, quo detineor, in terra
Majestatis Vestræ, ab Officialibus hujus
Provincie. Non dubito innotuisse hanc mēam
detentionem Majestati Vestræ (quodq; ab insej's
delatoribus fieri solet) incertis exaggeratam cau-
sis & argumentis. Nemotamen rerum mearum
ita conscientius est ut ego ipse, nec dignior cui arcana
potius mea aperiam quam Majestas. Optavis

O

Rex

Rex Christianissime, saepius vel scripto, vel coram
Majestate vestra, rationem hujus itineris mei
 reddere. Verum nihil iniquius sensi, quam hoc
 mihi à Ministris Majestatis *Vestræ* negari. Ita
 fontibus (quibus humanæ leges experiri omnia
 juris remedia permittunt) hactenus deterior ex-
 titi; sic ut nec innocentiam meam declarare, nec
 calamitatem, quam patior, mihi liceat apud Fra-
 tres meos, totaq; Domū Regiā, deplorare. Nul-
lo hostili in Galliam animo portus Majestatis Ve-
 stræ attigi, aut ipsas Hispanias petij. Massiliam
 ingressus sum, fastidio maris impulsus, quiescendi
 non lustrandi proposito; cubile non arcana menio-
 rum petij, in quod me vesper intulit aurora extu-
 lit. Principem me esse nesciunt, qui explorato-
 rem calumniantur. Regem Hispaniarum ut
 Fratrem adire volui, non ut Majestatis *vestræ*
 hostem. Favoriutriusq; status meus aptior quam
 odijs. Hoc motu, arma, quondam in Imperio con-
 tra Suecos sumpta, cum viderem Gallos illis so-
 ciatos, deposui, meq; ipsum exauctoravi; inane
 putans offendere à quo nunquam læsus, aut pro-
 ritate qui prodesse quandoque posset. Prudentiæ
 itaque & pietati laudatissimæ Majestatis Ve-
 stræ, hanc causam meam, meque ipsum subiçio;
 & per hunc Secretarjum meum, quem vix, ut
 mit-

CARCER GALLICUS.

107

mitterem, à Gouvernatorē impetravi, responsum
æquum à Majestate vestra expecto; cui me omni
affectu submisse commendō. Salona Anno 1638.
die 2. Mensis Junij.

S. R. Majestatis Vestrae
Cognatus & Affinis,

JOHANNES CASIMIRUS
Princeps.

Cum hisce literis Chavignio ad Regem
discedenti, Basilius, quæ superius de contagio-
salue retulimus, repentinam mortem Korf-
fij, periculum ipsius vitæ Principis, denuo in-
sinuavit, & ut, patrocinio suo interposito, si
non dimitti, saltem in locum alium deduci
Principem, impetraret. Promisit Chavi-
gnius, sed præter spem, in contrarium omnia
ordinata sunt, & lectis licet à Rege Christia-
nissimo literis, & morte Korfij, ut & pericu-
lo Principis relato, acerrimum mandatum
Provinciæ Gouvernatori missum est, quo Prin-
cipem, cum Comite Konopatscio, Confessa-
rio, Medico, Chyrurgo, ephebo, & coquo uno
Salonæ arctius custodire reliquos autem fa-
miliars ejus Avenionem omnes amandare
jubebatur. Quæ tanta inclemensia jam

Regat in
Princeps Sa-
lona in aliū
locum dedu-
catur. sed
manere ju-
betur.

O

quod;

quoq; desolato Principi, causam præbuit, ut
decem è suis, quos inter quatuor cubicularios,
in Poloniā remitteret. Quorum prima-
rio Theodoro Dönhoffio, Nobilissimo Ado-
lescenti, nunc etiam Cubiculario Regio
(Trium Fratrum Poloniæ Senatorum, Gaspa-
ris, Magni Ernesti, & Gerhardi, Siradiæ, Par-
naviæ, Pomerelliæ, Palatinorum, patrue-
li) ut Regi Fratri detentionis suæ seriem, Mini-
strorum Christianissimi in se rigorem, tum
præsentem rerum suarum statum, fusius re-
ferret, in mandatis dedit. Qui quomodo
injuncto sibi muneri satisficerit paulo infra
referemus. Basilius interim Secretarius Prin-
cipis, Christianissimi iussa negligens, nec Re-
giarum custodiarum præfecti Tremæ Comi-
cis minis territus, more solito, aulam frequen-
tavit, & pro Principe suo sedulus, Magnates,
subinde licet morosiores, fatigavit. Quin
imo, licet etiam à Chavignio pluribus repre-
hensus, tamen & increpationem ejus, & grave
supercilium indignantistulit, & constantissi-
me apud Régem (quousq; tandem, post bi-
niestre, a suo Principe, cum Bassonetio, in
Provinciam revocaretur) perseveravit.

Dum vero sic cū Principe Salonæ, dum sic,
cum

cum Secretario ejus, ad S. Germanum procederetur, interim Dębski Nuncius ille Regis Poloniæ (quem cum Richelianis commendatiis, pro facili expeditione, ad Chavignum, superius Perona dimissum diximus) aditum ad Christianissimum, ut Regis sui literas ejus manibus consignaret, adhuc quotidie sollicitabat. Et quamvis pluribus septimanis frustra, ad extremum tamen, voti compos, ejus præsentia impetrata, hasce Vladislai Regis sui literas, solennitatibus servatis, Christianissimo porrexit.

Dębskile-
ras Reg: Pol:
Gall: Regi
tradit.

Serenissimo Principi, Domino Ludovico XIII. Dei, gratia Christianissimo Galliarum & Navaræ Regi, cognato & Affini Nostro charissimo, Vladislaus IV. Dei Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniae, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensiæ, Czernichoviæq; Nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditus Rex, Salutem & omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime Princeps, Cognate & Affini Noster charissime,

MAgno cum animi Nostri dolore accepimus, quod, cum Serenissimus Princeps Johannes

Casimirus, Frater Noster charissimus, in maritimum Majestatis Vestræ ditionis portum appulisset, eidem certus Majestatis Vestræ Magistratus, insolenti satis cum ausu, tum exemplo, humanitatis & hospitij loco, vim & custodiam obtulerit. Quam vero ob causam, tam aspera sors innoxium, vel indigna injuria pacatum, & ipsa jacketione Sali graviores molestiarum fluctus, Serenissimum Fratrem nostrum exceperint, animo consequi non possumus. Cum enim ei hospitalitatis tutajura, & aequitatis communia subsidia, & arcta mutuae necessitudinis vincula (quæ Nobis cum Majestate Vesta constanter intercedunt), expendimus, in eam opinionem adduci non possumus, id cum Majestatis Vestræ scitu contigisse: Novit præclarè Majestas Vesta qualis Principibus, qui, dum exteris perlustrant regiones, Regiam fortunam intra privatam personam componunt, favoris ac honoris cultus debeatur, quæ securitatis ac dignitatis eorum ratio sit habenda; quo magis Serenissimi Fratris Nostri tam inexpectato & acerbo casu commovemur. Cum verò & sanctum illud, inter Poloniæ & Gallie Regnum, firmatæ necessitudinis vinculum, quod utriusq; gentis sceptra sociaverat, & ipsa novitate clarissima mutua benevolentia testimonio,

ac præcipuam, cum Majestate Vestrâ, cognati sanguinis conjunctionem, in memoriam revocamus, eo tristius, in Serenissimo Fratre Nostro, durioris fortunæ experimentum, & justissimum querendi argumentum habemus. Etsi vero minime dubitemus, totum id citra Majestatis Vestræ notitiam extitisse, debitumq; Regio sanguini, in ea detentione, cultum constitisse, ac Serenissimum Fratrem nostrum, sine Nostrarum suffragio litterarum, in honorificum jam libertatis statum restitutum esse, his tamen Majestatem Vestrâm compellare voluimus; pro mutuo, cum veterum necessitudinum, tum æquitatis, jure, à Majestate Vestrâ postulantes, ut nimium effluens injuriosi Magistratus audacia severiori censura coerceatur: Et Serenissimus Frater Noster, in tam acerba Regij sanguinis lœsione, optatum doloris solatum; ac Nos legitimum à Majestate Vestrâ (dum ad Nos Serenissimi Fratris Nostri prospera vel adversa spectant) æquitatis remedium, consequamur. Quicquid vero in Serenissimum Fratrem nostrum, in tam insigni injuria, favoris & Officij Majestas Vestrâ contulerit, id Nos vicissim Majestati Vestrâ, mutua gratæ voluntatis testificatione, per omnes occasiones, referre admitemur; cui prosperam valetudinem, & felicitatem.

cissimum imperij statum, à Deo precanur. Datum Varsaviæ, die VIII. Mensis Julij, Anno Domini M. DC. XXXVIII, Regnorum Nostrorum Poloniae VI, Sueciæ vero VII. Anno.

Ejusdèm Majestatis Vestræ

Cognatus & Affinis,

VLADISLAUS REX.

*Responsus
litteræ
Reg: Gallie.*

Christianissimus honorifice, & cum encōmio etiam aliquo virtutum Majestatis suæ Regis Poloniæ, litteras accepit, quantum vero ad Principem spectat, non aliter Nuntio huic, quam Bolognetio Nuntio, Apostolico nuper dixerat, & quemadmodum Claudius de Mesmes, cum Legato Suecico Hamburgo suaserat, respondit. Se videlicet, nisi cautio-ne sufficienti, de non vindicando, interposita, Poloniæ Principem hāud dimittere posse. Inde circumstantias omnes, qualiter sibi ca-veri vellet, latius explicans, Legati extraordi-narij missionem necessariam fore indicavit. Denique, expeditione facili promissa, sed deinde, quatuordecim dierum spatio, quo-tidie sollicitanti Nuntio, dilata, eum tandem, cum hisce litteris, post è Gallico trans-latis, dimisit.

Sere-

Serenissimo Principi ac Domino,
 VLA DIS LAO IV. Dei gratia, Regi Po-
 loniae, Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prus-
 siæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolen-
 sciæ, Czernichoviæque; Nec non Suecorum,
 Gothorum, Vandalorumq; Hæreditario Re-
 gi, Cognato & Affini Nostro charissimo, Ludo-
 vicus XIII. Dei gratia, Galliæ & Navarræ Rex
 Christianissimus salutem.

Serenissime & potentissime Princeps, Domi-
 ne Cognate & Affinis Noster charissima.

TAntundem affectionis animi, ex eo, quod Jo-
 hannem Casimirum Principem Cognatum
 Nostrum charissimum, Majestatis autem Vestrae
 Fratrem, detinere cogeremur, Nos habuimus,
 quantum Majestas Vestra, ex detentione ejus, ha-
 bere potuit. Quamvis enim omnem cum affe-
 ctum Majestati Vestrae deferamus, quem sibi à
 Nobis pollicetur, Et cui Nos, ob mutua benevo-
 lentiæ testimonia, præcipue devinctos agnoscimus,
 haud secus tamen, quam factum est, cum ea per-
 sona, tam arctè Majestati Vestrae, Et Nobis ipsis
 conjuncta, facere potuimus. Cum enim conser-
 vatio status, subditorumq; tranquillitas, (quam
 hoc in negotio præcipue consideravimus) cuilibet
 Regi maxime curanda sit, Majestas Vestra (cui

Deus amplissimi Regni gubernacula commisit ipsa facile, Fraterno affectu seposito, ubi rationes, Circumstantias omnes, Regio ponderaverit animo, non aliter fieri potuisse, etiam judicabit. Cui libet notum est, præfatum Serenissimum Principem Domui Austriacæ, cum quia bellum gerimus, semper addictissimum extitisse: hostibus nostris, proxime retroactis annis, fere semper se associasse, cum iisdemq; arma contra Nos sumpsisse, Et nunc, hac ipsa etiam tempestate belli, non alio fine, quam ut je Regis Catholicæ servitio obstringeret, Hispanias petisse: ibi, ut fama refert, alicui Provinciæ maritimæ præficiendus, quo facilius in terras nostras armis suis grassaretur. Hoc intuitu, negligens passus litteris, seu testimonio publico (quod extranei tamen omnes, qui ditiones nostras, præsertim belli tempore, per agrare volunt, habere tenentur) ceu incognitus, in Nostra littora descendit; castella, arces, Et eam Provinciæ partem, quæ maximè Hispanorum armis obnoxia, eorumque varijs machinationibus pluries petita est, perlustravit. Nunc itaq; Majestatis Vestræ sublimi judicio Et prudentiæ committimus, an non totus Nos inculpasset orbis, si eum, portuum, castellorum, totiusq; fere Provinciæ notitiam habentem, cum manifesto periculo Nostro, Et Nostrorum

vum hostium emolumento, ulterius progredi passi
fuisemus? Certe minime dubitamus, hisce consi-
deratis, Majestatem Vestram, Serenissimum
Principem, in hac inconvenientia, propria sua
culpa, & nimio illo, quo erga Nostros hostes fere-
batur, zelo, se præcipitasse, Nosq; securitati bo-
noq; publico consulentes, ad detentionem ejus, li-
cet invitatos, coactos fuisse, determinaturam. Plu-
rimum vero Nos afficeret, si, hoc præsenti casu,
vel minimum, inter nos firmatae, necessitudinis
vinculum, quod inter Galliæ & Poloniæ Regna,
personasq; Nostras, à tot retro annis coaluit, la-
xaretur; quod quidem, ex parte Nostra, eveniet
nunquam. Sanctè enim promittimus & affirma-
mus, Nos, prout hætenus fecimus, omni tempore
& occasione, affectum omnem & gratæ voluntä-
tis testificationem, Majestati Vestrae demonstra-
turos: quemadmodum fusiis Domino Debski, qui
Nobis Majestatis Vestrae litteras exhibuit, testati-
sumus. Idem mentem Nostram, circa liberatio-
nem Serenissimi Principis, Majestati Vestrae de-
clarabit; quam Nos quidem (dummodo tales se-
curitatis Nostræ cautiones, quales illi particula-
rius explicavimus, habere possimus) libentissimè
concedemus. His autem latori præsentium com-
missis, Deum precamur, ut Majestatem Vestram,

cognatum & Affinem nostrum charissimum, in sua sancta protectione conservare dignetur. Date apud S. Germanum in Laye, die XXVII. Octobris, Anno M. DC. XXXVIII.

Ejusdem Majestatis Vestræ, Cognatus & Affinis,

LUDOVICUS

BUTHILIER.

Dębski à
Card: cum
litteris expe-
dierit.

Dębski hisce litteris Regis Christianissimi instructus, apud Cardinalem (qui jam, ex Picardia, Parisios & Ruellam suam redierat) ut cum primario illo viro, quem ad Principem, honoris & visitandi gratia, in Provinciam mittendum, Peronæ dixerat, eose conferre, &, Salonæ Principe Salutato, per Italiam & Germaniam, in Poloniam redire, indulgeret, sollicitabat. Sed hoc illi non tantum prima facie negatum est, sed nec ullum quidem unquam, qui ad Principem, aut missus, aut mittendus esset, ordinatum competit; prout hoc etiam, quod à Cardinale pariter relatum erat (Principem nimirum venerationibus, equestribus exercitiis, & aliis recreationibus, cum Ludovico Valesio Comite, Provinciæ Gubernatore, indies vacare) aliter se habere didicit; cum Princeps non tan-

tantum Salona mœnibus & arcis, sed cubiculo etiam jugiter inclusus, eundem Provinciæ Gubernatorem nunquam, nisi literis, cognovisset Quin imo etiam Cardinalis, Dæbiscum, meridiem meditantem, præcipiti Authumno, in Septentrionem ire, & eo tempore saevientibus procellis, maria navigare jussit; &, per Hollandiam fretumq; Cimbricum, ad suum Regem, cum hisce quoq; suis literis, dimisit.

Serenissime ac Potentissime Rex.

NON dubito quin, postquam *Majestas Vestra* rescierit quibus de causis Serenissimus Princeps Casimirus in Gallia detentus fuerit, id fatum mirari desinet. Ille in Hispaniam, inter quam & Galliam, ab aliquot annis, aperto marte, ut *Vestræ Majestati* notum est, certatur, se totum illi addicturus, migrabat. Cum posset in Regnum illud, per medium mare mediterraneum secure transire, maluit maritimam Provinciæ Galliæ oram, quam sapius Hispanus adoriri conatus est, invicere & ob servare. Novit optime *Majestas Vestra* Regnorum securitatem in eo versari, ut, difficillimis præsertim temporibus, habetur ratio personarum, quarum aut autoritas aut perspicacitas, præjudicium aliquod Re-

gnis afferre solet. Quia quidem ex causa adducti
hujus loci Magistratus, sui officij esse existima-
runt, excursionem istam prohibere. Inscio Rege
interceptus cest Princeps, jam vero sciens sua
Majestas sinere non potest liberum abire, nisi
omnino præcautum sit, eum nihil molitum iri ad-
versus Galliam. Interea eo cultu excipitur, quem
postulat personæ dignitas & locus. Hinc cum
exierit maximo honori ducam, si ei meæ, erga Ve-
stram Majestatem, observantiae testem animum,
aperire possim, & quæcunque optabit officia præ-
stare. Datum Ruellæ, 10. Novembris 1638.

Vestræ Majestatis

Obsequentiissimus Servus,

ARMANDUS CARDINALIS
de Richelieu.

Rex Polonia
Legatum ad
Venetos,
Principem
Parmen: &
Genuenses
mittit.

Interim ad Vladislauum Regem, tum ad-
huc Austriacis, Viennam ultra, thermis oc-
cupatum, Theodorus Dönhofius (quem su-
pra, cum aliis, à Principe, in Poloniā dimis-
sum diximus) advenit. Quo viso Rex (qui
huc usq;; nisi literis, Fraternæ detentionis se-
riem, haut compererat) de rebus singulis
scrupulosius interrogavit. Cui Dönhofius
deinde ore tenus, totius itineris, navigatio-
nis, infirmi & nauseabundi Principis in Pro-
vin-

vinciam egressus, Nargonij Præfecti Gallici
dolosi processus, violentiæ, hostilitatis, de-
tentionis, translationis, despectuum, & re-
rum omnium, ad id usq; temporis quo Salona
profectus fuerat, circumstantias omnes;
tum & (quod inaudierat, & Rex quoq; literis
Lutetia jam didicerat) non nisi cautione in-
terposita, & quibusdam conditionibus pa-
rum revera licitis, dimittendum Principem,
fusius enarravit, &, singula miranti partim &
indignant, explicavit. Quare Rex, haut con-
tentus, Baronem Franciscum Bibbonum,
suum in Aula Cæsarea Legatum Ordinarium,
literis, ut vocant, Credentialibus instructum,
ut Legatum extraordinarium, ad Rempu-
blicam Genuensem, è cuius triremi in terram
coactus fuerat, pro absoluta ejus liberatione,
misit, &, per ditionem Venetam euntem, ea-
dem opera, eandem Rempublicam, Galliæ
amicam, inde Parmæ Principem (ut eorum
officia, hunc in finem, una requireret) brevi
divortio, salutare jussit. Quo peracto, Rex,
thermis jam sufficienter usus, 20 Octobris,
Vienna Austriæ discessit, &, in Moravia oc-
currente & salutato Cæsare, nulla tamen
(Gallis licet minime id creditibus) fœde-
rum

rum vel armorum, toto hoc itinere, mentione facta, in Poloniā regressus est. Bibbonius autem, in commissis sibi sedulus, octiduo post discessum Regis, 28 Octobris, Viennam deserens, 18. Novembris Venetias ingressus, & à Republica honorificè suscepitus, paulo post in Collégium admissus est. Ibi, solenni more, affectus probioris S. R. Majestatis Domini sui Clementissimi, erga Serenissimam Rēpublicam, declaratione præmissa, quam injustè, quam violenter, Principem Fratrem ejus, nulla data causa vel occasione, Gallia detinuisse, & porro detineret, facunde differuit, & desiderium sui Regis desuper exposuit. Scilicet ut Respublica authoritatem suam interponere dignaretur, quò, re adhuc integra, Princeps libertati pristinæ restitutus, causæ novorum motuum non existeret. Non esse enim pertinacia, Potentissimi Regis Fratris indignationem proritandam; cujus vires, Orienti & Septentrioni cognitæ, licet procul Galliæ forsan viderentur, tamen, modernorum motuum beneficio, opinione celerius & facilius, appropinquare posse. Et cujus armis, Tyram ultra, Hierassum, Borysthene, Tanain, Bosporum, & Volgam, regiones ion-

longius & in alia parte Mundi positæ, non ita
pridem, obnoxiae fuissent; Campaniam & Pi-
cardiam, Rhenum ultra & Mosellam, proxi-
miores terras, utiq; oportunas etiam esse
posse. Ad hæc Amplissimus Senatus Vené-
tus, Rempublicam, ad primum nuntium de-
tenti Principis, graviter indoluisse, & novo-
rum bellorum, imminentibus præsertim
Turcarum armis, in Orbe Christiano metu-
statim Angelum Corrarum, suum apud Re-
gem Christianissimum Legatum ordina-
trium, ut omni melicri modo, de liberatione
ejus ageret, monuisse. Nunc vero, ad tanti
Regis petitionem, nova commissione Lega-
to missa, acrius asturam; ac demum etiam, si
opus foret, Legatum extraordinarium, quo
citius æquo tanti Regis desiderio satisficeret,
Parisios missuram. Bibbonius, cum pro obla-
tis Reipublicæ gratias egisset, & hanç bene-
volentiam ejus scripturum se suo Regi promi-
sisset, Venetiis, ad Parmæ Principem, disces-
sit: qui eum non tantum humanissime suscep-
pit, sed etiam, audit Regis desiderio, se in
propria persona, ad Regem Christianissi-
mum, iturum respondit. Sed Bibbonius,
gratiis pro zelo nimio relat, cum, pro offi-

ciis se instare tantum, professus esset, & ille fusiū obtulisset, valedicto Principi, Mediolanum, inde in Liguriam perrexit. Sed antequam eum Genuam introducamus, relectis vestigiis, non nihil in Poloniā redeamus; eandemq; D̄bſcium, Oceano mariq; Balthico hyberno tempore transmissō, salvum tamen & in columem ingredientem videamus.

*D̄bſcij in
Pol: reditus,
& Archiep.
Gnesi tunc te
ad Claudium
de Mesmes.*

Hic, molestiarum longa periodo superata, quum Sarmatiā intrasset, Regi q; literas Christianissimi & Richelij Cardinalis tradidisset, conditiones etiam quibus Principem dimitii Galliæ placeret, fusē retulisset; eas etiam, ut audierat, & aliunde quoq; in Poloniā scriptum erat, à Claudio de Mesmes, Regis Galliarum, ad Septentrionales Provincias, Legatos suggestas, Regi ipsi, & Magnatibus Polonis insinuavit. Quod passim quidem indignationem apud omnes, maxime tamen apud eos movit, qui virum illum, transactionis viginti sexennalium induciarum tempore, ut & post, summis in Polonia honoribus affectum, sic benevolentia suæ respondere non debuisse existimabant. Adeoque & Johannes à Lipic Lipski, recens ē Culmensi & Pomesaniæ Episcopo in Archiepi-

sco-

scopum Gnesnensem, Primatem Primumq;
Regni Principem assumptus, etiam ipsi Clau-
dio de Mesmes, Hamburgi adhuc tum com-
moranti, elegantissimis hisce literis aperire
& objicere non dubitavit.

Excellentissime Domine Legate,

Litterarij inter nos officij silentiu rumpo prior
ultra ſlubens, sed præterea in uitatu Kalen-
darum Januariarum, (qua vota ſ voces amico-
rum eliciunt) adit æque mihi Principis, hoc in Re-
gno, dignitatis, ac litterarum, ab Illustri Domino
Barone Carolo Davagour Gedano ad me scripta-
rum, in quibus amicitiam nostram refricat. Ami-
cè id ille quidem, ſ nobis perjucundè, ſed, ſi tan-
quam apud immemorem, prorsus otioſe. Impref-
ſam enim pectori gero tanti viri memoriam, qua
illum colo etiam absens ſilens. Itaq; (quod occa-
ſio ſcribendi ſ argumentum fuit) auguror Ex-
cellentiae Vestræ novi anni felix exordium, pre-
cor q; ut iſ multiq; deinceps, per continuos ei felici-
tatis atq; gloria accessus, auctusq; exeant. Simul
exovo officium Amicis viris suetum, ſed mihi
alio quam vulgari hoc nomine pronum; cum Ex-
cellentiam Vestrā certiore facio, me ad pri-
matum Regni, judicio ſ beneficio Regio, eſſe
proiectum; quod ſcio uberiori fore vobis gaudio

Q2 — quam

quam mihi sit, oneris & virium conscio. Erit certe eo majori auctoramento benevolentiae meæ erga Excellentiam Vestram, uti voto, ac vaticinio, id fortunarum mihi hic pridem auguranti. Hoc officii genere, affectu prolixius quam verbis, defuncto, mihi sanctius superest, utpote conscientiæ & existimationi obnoxium. Sinite modo, vir Nobilissime, vobiscum agi, ut paucis ante annis, in suavi illa nostra consuetudine, intimè & familiariter. Id candor utriusq[ue] nostrum possit, & cur a amicitiæ, quæ, nisi nuda & aperta sit, in fucum degenerat; id etiam præsens literarum officium, à quo cœpi, ne fucato silentio corrumpatur. Rem nudè aperio. Ad famam detenti Johannis Casimiri Principis à Vestratibus, sicuti universus hic Sarmaticus orbis dolore & fremitu inhorruit; ita publica, eo nomine, querela & indignatio in Excellentiam Vestram incubuit. De Proscenio, & ipsa tristis tragediæ Scena, quoq[ue], per Excellentiam Vestram, hic adhuc præstructis, horret animus credere; neque hic facile fidem fama inveniet, apud me nunquam. Constantior vox est, non hic nata, sed litteris popularium Vestrorum declata, auctorem fuisse Excellentiam Vestram, non quidem ut Princeps interciperetur, sed ut interceptus detineretur. Ajunt enim ab

Re-

Regia vestra, dum atroci facto cunctabunda hæ-
raret, sensu vestro explorato, triste hoc detentionis
decretum stetisse; tanquam rebus Gallicis, vobis
adstruentibus, oportunum. Fidem authorum
et si non levium, haud existim: sed, ut (quod cre-
dere malim) laboret, æque mihi acerbum hæc de-
magno, Et in primis amico viro, percrebuisse; tum
de illo præterea, qui nuper amor nostræ Regiae, no-
strorum castrorum, nostri septentrionis habeba-
tur. Cujus honori Rex, Senatus, miles, obsecun-
darentur. Cujus favori datum, ut victoriam, Re-
gia, Provincias, pacificatoris authoritati postha-
bemus. Quem favor publicus eō extulit, ut pa-
cem suo prope arbitriosanciret, Et de æmulo Or-
tore triumpharet: quemq; hinc secuti in Galliam
Regij favores magni illi, nec fortassis evanidi,
quantumlibet impari stylo delati. Non exaggero
ista, neq; alia memoro, uti muneri, Et persone, ju-
re tributa, à vobis etiam tum magnifice prædica-
ta, Et grato pectori condita. Memini enim (vi-
de, mi Domine, quam amor tenax sit) vos inter
alia, quæ hic Memmius altilogus pandebat oracu-
la, Thorunno ultra Vistulam, ad figendum in
Polonia pedem, progressos dixisse. Teneo te Po-
lonia, & non manibus ut ille Africam, sed
grato & memori pectore. Verum enim uero

quā tam cito, eodem pectore, tam atrox prodire
 potuit decretū? quo adeo indignē in sanguine
 Regum nostrorum, & vestrorum innoxij, plecti-
 mur, ut profecto sit quod ēque amicum pectus re-
 fellat ac doleat fidem hic passim haberī. De Re-
 ge & gentibus vestris non est querendi locus, da-
 mante jam illos orbe Christiano. Quāquam,
 meo quidem judicio, haud merito, ob paucorum
 culpam, omnes vapulent. Ipsi vos equidem, si
 basce in oras rediretis, vobis, vel ob legationis ve-
 strae gloriam, ut reor, non ingratas, & quae nuper
 (memori & conscio loquor) Gallicis encomiis per-
 sonabant, aliā modo cantilenam, alias Musas audi-
 retis, quam quibus Poëtae Palatini, Regis, & Orā-
 toris Gallici, laudes cecinere. Audiretis, inquam,
 En qui præ cæteris gentibus Galliam coluimus, cen-
 genio & affectu germanam, quam cogimur da-
 minare in nobis tam proclivem sensum, nunc pe-
 jus quam ab hoste, eoque incivili (ut ipsi civiliter
 loquamur) multati. En qui Principem Gallicum
 in solio posuimus, vos Galli nostrum prope in er-
 gastulo; qui vestrum fecimus Regem, vos no-
 strum captivum. Nempe ut beneficium injuria.
 honorem probro, Coronam sceptrumq[ue] prope com-
 peditibus pensaretis. Sed ut admiseritis id neque
 in amicos neq[ue] in benemeritos; at fas & æquum,

at cælum, Religio, sanguis, jus gentium, ipsaqz societatis humanae necessitudo, nescio an non vim
passa cælum orbemqz appellant: saltem noster iste
Sarmaticus, innocens adhuc, Ego, quæ est Super-
rum clementia, nondum isthac novatuendi statutus
cacopolitia imbutus, ingens patitur scandalum.
Nunquam certe hic innoxio cujusquam itineri,
publico nomine, insidiatum; nunquam vel jure
belli captos sic tractavimus, non è primis modo
Mundi nominibus, aut illis qui vastum imperium
fastu superant, sed inferioris etiam meriti Ego fo-
tuna. Nunquam, per alienam injuriam, nostram
vindicavimus, aut peccandi licentiam in aliquem
usurpavimus, cum impunè, Ego è re nostra posse-
mus. Ignoscite doldri nostro, vir æquissime. Ita
è Vesta Gallia accepimus, non aliud Princeps em
nostrum peccasse, nisi quod, posse in se peccari, ad-
miscerit; id est, suisui conscius, Ego nimium amici-
tiae, Ego sanguini fidens, iherit. Nec aliud vobis,
cur læderetis, cause, nisi quia impunè laedi, Ego è re
Gallica potuit; tanquam injuria non sit, quæ pro-
fit, Ego vindicari nequeat: Ast quantumlibet
longas Regibus esse manus, veteri dicto non assen-
tiamini, longissimas tamen esse Regi Regum (ut
christianè cum Christianissimis loquaniur) haud
iheritis inficias. Quanquam, sicut Gallicas, ul-
tra

tra Alpes, & maria; ita nostras ultra Thanaim,
 Borysthenem, Bosphorum, Rheno & nescio qui-
 bus non Mosellis, Liguribusq; aut Sequanis altio-
 res, pertigisse non utiq; abnuetis. Hoc etiam non
 nescimus, injurias ut privatorum esse marmoreas,
 ita Regum Regnorumq; adamantinas, ut neque
 saeculis obliterari, neque terris maribusque abole-
 ri queant. Quam s?p? accidit, post multas anno-
 rum centurias, penetrasse vindictam, injurias-
 que, jam velut extinetas, potentius, ex intervallo,
 ad ultionem & noxam recaluisse? Neq; ista a me
 jaetari, & quae hic Excellentiae Vestr?e scribo,
 minas meas putet; nam apud nos (quod scitis) mei
 similes bella non minantur, nec gerunt, & fami-
 liare literarum officium illas excludit. Deinde
 ut privatus ad privatum scribo, non tam ex meo,
 quam ceterorum sensu, quibus, uti non togatis,
 ira & mina magis convenient: quas ut flocci pen-
 datis, & rideatis etiam, memineritis tamen non
 solis armis vindictam queri, & injurias sepe ul-
 trices sui esse, infestioraque haberi armis odiorum
 tela, quae in famam, & existimationem vibrantur.
 Scio ego Gallos Vistros, non minus candidos
 & apertos ubique animos, quam nuda in ferrum
 ferre peitora: qua gloria spoliare nobilissimam
 gentem, & insidiatricem Principum virorum
 cla-

cjanuitare, videte ne omni vindicta acerbius fuerit Quantumvis (quod per ridiculam à quod in nupermemorari cum stomacho audi vi) veterum Gallorum more maculam eluere velitis, ne ab illis degenerasse videamini. Nam olim Gallicæ quoque consuetudinis erat (verba sunt Cæsaris) ut viatores, etiam invitatos, consistere cogerent. Sed illi ad horam & colloquium, vos ad contumeliam & noxam: ut nimirum faceretis, ex innoxio viatore, exploratorem; ex Principe emissarium; ex propinquo insidiatorem. Proinde videritis, ne, cum satis tutò in nos peccasse, & in Principem impunè videamini, majores, quam ipsi vellemus, pœnas, per publicum odium (quo nullum est gravius supplicium) & nominis Vestri labem, luatis. Sed jam sum ultra literarum officiosarum Cancelloros penè proiectus. Ignoscite iterum, Amicissime vir, dolori nostro, & si vestris lessisse libuit, liceat, per prudentiam & æquitatem vestram, hæc lessis queri, & à me, in sinum Vestrum, ea libertate quam sæpe laudastis, deponi. Certè vel hinc affectum meum metiri potestis, quod, cum dolor hic, privato & publico nomine, ad me pertineat, posthabui illum amicitie nostræ, & universi Regni fremitu questus. Amicè & familiariter, cum Excellentia Vesta, egi, ac, more,

R

meo,

meo, candide aperui, quæ voces de Gallia Vestræ,
tantoperè hic semper adamata & estimata; quæ
de Excellentia Vestræ, unico nuper delicio nostro,
audiantur. Quibus remedio in vobis ipsis, ne
tempore invalescant, & contumaciam induant,
& in publicum saltem odium erumpant. Nec
minus in virtute & prudentia Excellentiae Ve-
stræ, & muneris sui titulo, in quem Septentrio ve-
nit, foreatur, ne, dum Legatum Christianissimi
Regis in Septentrione agitis, Septentrionis potio-
niorem, & nobiliorem partem Gallie, amittatis;
id est, Gentis nostræ amicitiam, magnis semper
Regnis ac Regibus, & vestris, vel per vos ipsos,
nuper unicè ambitam. Hoc si præliterit Excel-
lentia Vestræ, ambo non modo fructum capiemus
privatæ amicitiae nostræ, sed publicorum etiam,
quæ gerimus, munerum; egregiè illis, erga Reges
Regnaque nostra, hoc nomine defuncti. Quod si
minus successerit, saltem pro jure amicitiae cupio,
ne Excellentia Vestræ tanta flagret istic invidia,
ubi nuper publicis effulgit favoribus, gestaque
feliciter legationis gloria. Si ne id quidem pensi
habueritis (quod de tali viro nec cogitare ausim)
tamen id officij tribuetis amori meo, plus de Ex-
cellentia Vestræ, quam ipsa desit, sollicito. Quod
relicuum est Excellentiae Vestræ omnia fau-
sta &

CARCER GALLICUS.

131

sta & prospera à Deo precor. Lubævia Kalend:
Jan: Anno Domini 1639.

Excellentiae Vestrae

Addictissimus,

JOHANNES à LIPIE LIPSKI,
Archiepiscopus Gnesnensis.

Hisce literis quomodo Memmius deinde responderit, temporis habita ratione, suo loco dicere non omittemus. Nunc autem ad Bibbonium, quem paulo ante in Liguria reliqueramus, velut postliminio revertamur. Hic, ut vidimus, ligationis munere, Venetij & Parmæ, jam deposito, per Mediolanum, Genuæ appropinquabat. Cui, Anno 1639, ipsis etiam Kalen. Jan: primaq; die Mensis & Anni, in proximo agenti, certi, à Republica deputati, obviam progressi, eum splendidissime in urbem, & Marchionis Johannis Lucæ Spinolæ Palatum introduxerunt. Inde, post triduum, nonnihil itineris tædio decocto, numero Nobilitatis comitatu, in illius Reipublicæ Senatoriæ Majestatis præsentiam deducimus, solennitatibus præmissis, hisce potissimum rationibus Regis sui desiderium expressit. In primis gratias agere suam Majestatem

Bibbonij ad
Genuenses
legatio.

R 2

Re-

Regem Poloniæ Dominum suum Clementissimum, quod, post multa maximæ humanitatis officia sibi etiam olim præstata, in Fratrem Principem benevolentiam extendisset; adeoq; & tritemem propriam ejus obsequio, & transfretationi Barcinonem usq; in Hispaniam, ordinasset. Cum vero Ministrorum Regis Christianissimi temeritas & violentia in tritemem illam præsumpsisset, & ex ea, Principem, jam in Reipublicæ potestate constitutum, in terram & castellum coëgisset, ejus liberationē etiam, certo modo, ad Republicam pertinere: nimirum ut eadem fide & humanitate, qua acceptus esset, redderetur. Quod si etiam, anno superiori, tanto pere, pro navigiis aliquot Hollandicis, ab Hispanis expugnatis, tenues ob rationes restituendis, apud Regem Catholicum egisset, sic ut nihil amplius ab ea desiderari posset, quanto magis pro restitutione Principis, non Gallicorum, ut Batavi Hispanorum, hostis, sed amici Regis Fratris, nec in hostili, sed Reipublicæ tritemi, ceu in domo propria versantis, & ex ejus velut manibus eo tempore extorti, quo ipsa in omnibus suis portubus, Gallicis navigiis cujuscunq; generis, tutam stationem, fidem,

fidem, commorationem, exhibebat, obligari? Cum injuria Principis Republicæ offendam, conjunctam esse.. Non negligendam igitur, ne forte qui ex arte, in gratiam Galliarum Regis, traditum magis quam extortum, temere murmurarent, postmodum inveniuntur. Et, si Respublica Veneta, cuius privatim nihil interesset, tanta polliceretur, quanta à Respublica Genuensi, læsa, offensa, & quoad sanctiorem jurisdictionem, grayissime violata, non expectanda.

Senatus, hæc non aliter se habere fassus, libertati restituendum Principem, nec secus immunitates suas, quam personam ejus, temeratas respondit. Sed ad vindictam, arma, bellum, vires deficere. Ad officia vero, & quævis alia possibilia, Rempublicam paratißimam esse. Adeoq; pluries jam Legato suo, Johanni Baptista Saluzio, Parisii ordinario, hoc negotium serio commisisse: sed à Rege Christianissimo hucusq; nihil, præter responsiones quasdam frivolas, sub prætextu futili, obtineri potuisse. Porro autem Rempublicam, pro libertate Principis, nihil non molituram, & Legatum extraordinarium, ad Aulam Christianissimi, propediem missu-

*Genuensis
Respublica
responsum.*

ram. Ad hæc Bibbonius: non eam Poloniæ Regis, Domini sui clementissimi, mentem esse, ut Serenissima Respublica, aliquo pro se discrimini, dubiisq; bellis, se involveret: sed pro officiis instare tantum; quæ si, præter spem, frustranea, pertinacem apud Christianissimum, futura essent, Regem Dominum suum, alia via, procul dubio, Fratrem Principem reposciturum. De cætero, quæcumque Seren: Resp: promisisset, scripto & ore tenus relaturum se Regi suo; cui grata & accepta fore nullatenus dubitaret.

*Bibbonius
Puccitellum
ad Principem mittit:
& Legatio-
ni illius esse-
tus.*

Et ita quidem Baro Bibbonius, jam legationis sua munere defunctus, post dies aliquot, Virgilium Puccitellum Secretarium Regium, ut Principem de hisce omnibus, & alio etiam sanctiori quodam negotio, quod pariter illi in commissis erat, certiorem redderet, ad eundem, jussu Regio, Genua expeditivit. Ad quem, qua ratione, & quando pervenerit, quia ad rem pertinet, suo loco & tempore referemus. Quantum vero ad præfatæ Bibbonianæ legationis effectum attinet, is exiguis, imo nullus fuit. Saluzius enim Genuensis Reipublicæ Legatus, novis licet commissionibus instructus, oportunus im-

importunus; nec bonis verbis unquam nec a-
sporis, nec argumentis aut rationibus, quan-
tumlibet evidentibus & claris, restitutionem
in integrum impetrare potuit. Angelus Cor-
raus autem Reipublicæ Venetæ Legatus, tam
à Rege quam Cardinale, responsū ejusmodi
acepit. Serenissimam Reipublicam Vene-
tam, ut amicam & foederatam, nihil à se, quo-
quo modo in præjudicium Coronæ Gallicæ,
velle aut petere oportere. Jam autem Po-
loniæ Principem, apertum hostem, præci-
puis Provinciæ totius munitionibus, castellis,
portubus, & stationibus exploratis, si, nulla
cautione interposita, dimitterent, hoc est in
Hispaniam, ad Præfecturas in se destinatas,
abire permitterent, quantum exinde sibi de-
trimenti, saltem periculi, emersurum esset,
ipsius Reipublicæ considerationi, maturoq;
judicio, se committere. Adeoq; supersede-
ret petere, quæ impetrasse inconveniens &
absurdum esset, imo etiam, nisi partes legere,
& Hispaniam præferre Galliæ placeret, tan-
dem poeniteret. Cum vero utriq; Reipu-
blicæ etiam hisce satisfactum non videretur,
& tam Veneti quam Genuenses, juxta pro-
missa Bibbonio Baroni facta, extraordina-
riam

riani legationem præparraent, & hoc Aulæ Gallicæ innotuisset, Richelius fulminare & protestari, & inutiles, & frustraneas, & ingratas fore, quotquot etiam hac in parte, mitterentur. Nullatenus enim, nisi uno Legato Polono veniente, & interposita cautione debita, Principem libertati restituendum. Cum ergo utraque Respublica, hoc etiam medio modoque nullam, satisfactionem, sed potius dissidium cum Regno Galliæ, sine ulla Sarmatiæ Regis utilitate, & ipsius Principis solatio, vereretur, tota hæc structura Bibbonianæ legationis corruit, & tam Genuæ quam Venetijs, consilium de extraordinario legato sedidit. Uterque tamen Residens, Saluzius & Corrarus, Andræ Basio Poloniæ Principis Secretario, consilio & benevolentia, omni occasione, semper adfuit:

Princeps Butlerum superimum cubicularium suum Parisios mittere cogitur. Ab hoc autem cum Salonæ Princeps utriusque Reipublicæ conatus irritos cognovisset, & se in dies singulos, & arctius & indecentius habericereret, Secretario suo, cum Buffonetio ad se revocato, Butlerum supremum cubicularium suum, ratione officij sui rerum omnium magis gnarum, & accessum facilem apud Regem Fratrum habentem, in Po-

in Poloniā & Johannem Heppen Thesaurariū suū, dudum Chantarenæ jam invisum, & pecuniae fideique gratia erga Principem, ceu evadendi occasioneſ machinantem, supervacuo ſuſpectum (quem hinc, reverſum, & ipſius Valesii literis inſtructum, vix ad Principem admiſſum, tandem eo minis atrociibus adegit, ut, annuente Princepe, in Poloniā redire mallet) Genuam ut ablegarē poſſet, à Valesio poſtulavit. Quo aliquandiu de liberante, an quod hac ſuper re Parisios ſcripſiſſet, & reſponſum à Christianiſſimo expeſtaret, tandem hiſce literis confeſſiſſit.

Sereniſſime Princeps.

Ultimiſ Tuis literis citius reſpondere non po-tui. Cubiculario primario, Domino Butler, liberam, in Poloniā, profiſcendi copiam, nullam ob aliam confeſſi Cauſam, quam ut Celsitudo Veſtra, fidem aliquem ad Regem Fratrem mit-teret, qui prudenter res ſuas ageret. Optavi, & Opto, Christianiſſimi Regis adeat aulam, non iti-neri poſturus impedimentum, ſed potius liberati-oni Veſtræ conſulturus. Inter Serenifſimos Re-ges & Regna, tantis connexa fæderibus, ſtrictior pa-ratur concordia; cui Domini Butler inſerviet mu-ltum preſentia. Et, ſi diſceſſus fit moleſtus, re-ditus

ditus liberationis afferet iucundissimum nuncium. Potest igitur Celsitudo Vestra Cubicularium suum expedire. Hoc amicitiae causa consilium do. Petet etiam Genuam Nummularius, cum volueris. Certiorem faciet exitus rerum & tempus, cui secretiora patescunt, quibus Officijs, Celsitudinis Vestræ, benevolentiam promereri studeam.

Celsitudinis Vestræ,

A quo Sextis

24. Ianuarij

Anno 1639.

Humillimus & Observantisimus

LUDOVICUS VALESIUS

Sentiebat Princeps, pluribus eiusmodi experimentis iam edoctus, Butleri iter, Parisius, non suaderi adeo, quam juberi. Adeoque in suspicionem illam, abstrahendi potius à se fidelissimi & prudentissimi familiaris, ut evenit, quam in Poloniam dimittendi, consilio Lutetiam dirigi, adductus est. Hinc tergiversari Princeps, & ut penes se retineret potius, quam Parisius, sine ullo fructu, versari patetur, mutasse, de eo in Poloniam mittendo, sententiam simulavit. Quod Valesius adversens, insinuavit Principi, omnino iam Butle-
rum, cum petisset semel & impetrasset, per Lutetiam, ad Regem Fratrem, mittendum esse; & nisi ultro mitteret, fore (quod utri-

que minus honorificum futurum esset) ut se
invito mitteretur. Sic Princeps, quod time-
bat, supremum Cubicularium sibi Charissi-
mum, literis ad Regem & Cardinalem (qua-
rum copiam me habere non potuisse doleo)
instructum, invitustandem à se dimisit. Qui,
assumpto Felverio Doctore Medico, aulæ &
linguæ Gallicæ peritissimo, (quo etiam, his-
ce ex rationibus, ceu Commissario, plerisq;
in rebus, iugiter usus est) Bussonetio, & Eler-
tio Ministro Principis, prius ad ipsum Vale-
sium Provinciæ Gubernatorem (ut, quid re-
rum secum ageretur, cautius exploraret)
Aquas Sextias divertit. A quo humanissimè
susceptus, multis rationibus, iter Parisios ei
expedire, antequam in Sarmatiā se conser-
ret, persuasus est. Gratiè videlicet acceptum
iri, & ab ipso Rege, informationem necessa-
riam, tum, quibus conditionibus & medijs
Princeps liberari posset, auditurum. Traicta-
ri etiam, Principem in Generalissimum, à Re-
publica Veneta, adversus Turcas, assumen-
dum; cui transactioni, eum adesse, Principis
plurimum interesset. Is autem passim tunc
rumor erat; alijs, in favorem Principis, quo
facilius, respectu piæ causæ, dimitteretur, &

Turcæ, metu Fratris Vladislai Regis, ad ponenda arma, & æquitatem omnem disponerentur, sparsum ab ipsis Venetis id credentibus : aliis, nec Venetos id sparsisse, sed otiosos ; nec Principem hanc præfecturam, etiam à Venetis oblatam, ut ipsius dignitati haud convenientem, suscepturum existimantibus; ne minoribus & Reipublicæ inservire videretur. Quidam autem, hanc famam quidem vulgo, & absq; fundamento, natam, nihil tamen authoritati Principis (quamvis Regii sanguinis, & qui Fratrem Regem haberet, patrem, Avum, & Majores habuisset) derogare sentiebant, si in tam sacra militia, adversus Turcas & infideles, Venetorum viribus præcesset ; cum, hac ratione, non tam Reipublicæ, quam pietati, & bono publico Christianitatis, servitus videretur. Ego ut, quid Principem, in eventum, decuisset, & quid ille, salva autoritate facere potuisset, suo loco relinquo; sic illorum nunc sententiæ, nec obtulisse, nec sparsisse Venetos, accedo. Si enim, hac in parte, quicquam Respublica deliberasset, utique Francisco Bibbonio Baroni, legato Regio (tum vel maxime imminente Turca, cum hic, Venetiis,

man.

mandato sibi munere defungeretur) meo quidem judicio, saltem aliquid aperuisset. Ut ut sit, fama, rumor, & simul omnia, cum bello ipso, firmata pace, post modicum, evanuerunt.

Cæterum, ut ad Butlerum revertamur, cum ille sibi, etiam invito, Parisios eundum, intelligeret, nil cunctatus, Lutetiam perrexit. Et mox, quod ipse cum Principe timuerat, se in Poloniā non tam cito dimittendum, nimis cito sensit; & omnia in contrarium, quam Valeſius promiserat, expertus est. Nam non tantum minus humaniter, à Rege & Cardinale, receptus est, sed in utrumque etiam, cum ludibrio impegit; sic ut ne litteras quidem, ipsius Pincipis manu scriptas, ab ejus manibus recipere dignarentur, &, ut Principis Secretario nuper contigerat, ad Chavignium supremum Regni Secretarium remitteretur. Cui litteras cuim tradidisset, responsum expectare jussus est; quod non, nisi post menses aliquot (ut infra videbimus) accepit. Interim cum Bolognetio Pontificis, Corraro Venetorum, & Saluzio Genuensium, legatis egit, ut Princeps, ipsis carentibus, libera saltem custodia servare-

*Butleri Par-
risii conatus
frustranei.*

tur. Quod tamen, licet offerentibus iisdem,
& intervenientibus, à Christianissimo obti-
neri non potuit. Quin ilmo Princeps mox in
carcerem Cisteronensem (quo viliorem fere,
pro persona publica, ne dicam tanto Princi-
pe, tota Gallia non habet) detrusus est. Cau-
sam autem mutationis hujus, quia memo-
riam meretur, paulo altius oportet ut pe-
tamus.

*Chantarena
indigna pra-
sumptio in
Principem.*

Henrico Korffio, ut supra vidimus, con-
tagione mortuo, cum Princeps mutationem
loci, ob manifestum vitæ periculum, frustra
sollicitasset, &, ipso, cum pauculis, Salona
manere jussò, è contra familiares reliqui
Avenionem distraherentur, Chantarena Cu-
stodiarum Principis simul & Valesii Provin-
ciæ Gubernatoris, sed longè diverso respe-
ctu, Praefectus, divisionem hanc in abomina-
bilis insolentiae occasionem vertit. Quo
enim fidem & diligentiam suam, Provinciæ,
Domino suo, & universæ Galliæ, in experi-
mentum daret, & sagacitatis gloriam (erat
enim, ut accepimus, ambitiosus homo) vel
per tanti Principis injurias, & ludibria, vena-
retur, eum fugam moliri, & hac superre, cum
absentibus suis Avenioni agere, se advertisse
com-

commentus est. Hinc, certis in locis, disponere exploratores cœpit, & Normandum aliquem Avenionem, in idem hospitium, in quo plures aulicorum Principis diversabantur, misit; ut, eorum amicitia insinuatus, verbum unum vel alterum, quod in alicujus fuga circumstantiam trahi posset, facilius auctoraretur; & hinc, detectam proditionem, calliditate sua, vulgare, in aulicos sœvire, & calumniari infontem Principem liceret, &, hac via, sagacis viri famam inveniret. Sed Normandus ille, licet, ut peregrinus, & in hospitio, & ad mensam, locum invenisset, mox tamen, proeo, qui erat, agnitus, dum, aculeis verborum insensatus, quotidianas exprobationes artis suæ, quam exercebat, sine fastidio devoraret, & impudentius perseveraret, conquerentibus aulicis, ab ipsamet hospite, diversorio, suis moribus, tandem, ejectus est. Cum ergo Chantarenæ, homini versutè malo, id consilium pravæ mentis, à scopo, in scopulum aberrasset, Sylvanum, quendam, Avenionensem patria, quondam Centurionem, sed, herculè, astutum, versipellem, callidum, veteratorem, & prorsus Chantarenæ p oposito oportunum, qui Princi-
cipi

cipi fugæ animum, & modum ejus haud difficilem, insinuando, si non consentientem, propensum tamen redderet, & hac ratione, quod intendebat, assequeretur, subornavit. Hoc autem ita se habuisse, ex subsequentibus, facile apparebit. Itaq; hic Sylvanus, notæ artis periculum facturus, Avenionem pariter divertit, & Ferdinando Miskowski Gonzaga Marchioni, miris modis, se insinuans, habere secretissimi aliquid, quod ejus silentio commendaret, dixit, &, in partem seducto, suppressa voce, identidem respectans, ac si undique proditores, ipse proditor, timeret, fugæ modum, ordinem, circumstantias, & alia, vero similia, brevibus enarravit; & hæc, homo subdolè versutus, iis artibus faciebat, ut, quod primum ipsi & Chantarenæ votorum erat, apud Marchionem fidem inveniret. Adeoq; Marchio, summa pecuniae animato, & reverti jusso, clam Principem, per litteras, omnium certiorem fecit. Princeps autem, cum Gallum esse hominem cognovisset, & per fraudem, occasione fugæ, magis & vitæ periculum vereretur, tunc quidem id consilium, ut præceps & temerarium, rejicit. Cum autem Sylvanus, nunc etiam, utili-

utilitatis suæ gratia, magis sedulus, occasio-
nes fugæ, notis artibus, quotidie cumularet,
& certo certius libertatem Principis pollice-
retur, tandem, per Marchionem, apud Prin-
cipem hoc effecit, ut deliberaturum se profi-
teretur. Tum vero Chantarena, à Sylvano
(quamvis modis omnibus contrarium simu-
lantibus) jam edoctus, fugam Principem
adornare, vociferari; sine discirimine Cives
& Nobiles, qui loqui aliquando cum Princi-
pe visi essent, velut complices, carceribus
mancipare; quosdam Aquas Sextias mittere;
multos etiam torturis & carnifice terrere cæ-
pit. Videns ergo Princeps, tot innocentes tra-
duci, ut modum sævitiae adhiberet, vocato
ad se Praefecto, reum, quem ignorare adhuc
ipsum existimabat, manifestavit, &, ut in-
nocentes dimitteret, nec ultra quenquam
innoxium insimularet, rogavit. Subjuñxit
etiam, se assensum proponenti, & suadenti
Sylvano fugam, nullum adhuc præbuuisse, nec
homini nationis Gallicæ facile daturum. Hoc
dicto autem, quæ familiarius paulo ante Prin-
ceps Praefecto dixerat, in memoriam revo-
cabat; scilicet primos omnium, qui temeri-
tatem suam pecunia venalem facturi, & se,

in fugam sollicitatum, levitate pari, prodituri essent, Gallos fore.

Ejusdem impudenteria, & Salonenium vanitas..

Hic autem tantus candor Principis, qui Chantarenam senvientem placare debuerat, irritavit: &, neglecto reo (qui ultiro etiam Aquas Sextias, ubi Provinciæ Gubernator erat, & insontes mittebantur, prudentioribus exinde altius etiam suspicantibus, concessit) culpam, poenam, & furorem omnem, in ipsum Principem, à Sylvano, transtulit. Huic tecto capite frequentius assidere, exprobrare temerarios conceptus, &, perfrictæ fronti galero altius impresso, trans limbum ejus, torvis oculis, grandi & obliquo supercilio, ultrices minas indignissime jaculari cœpit. Promiscuum vero Salonaë vulgus laudare Chantarenam, hac nequitia, de insonti Principe, jam triumphantem; ejus prvidentiae & sagacitati applaudere; congratulari sedulitati; & rigorem ejus, jam non ipsius, sed culpe Principis imputare. Hunc ut hostem, aut, quod pejus, sub amici & peregrini specie, nuper Galliam ingressum, favore Superum feliciter deprehensum, nunc prava conscientia, testo optimo, convictum, præceps fugæ consilium cœpisse. Inde fu-

fuge circumstantias, hic & ille, ut sit, aliter referre; plures etiam ipsi cōminisci. Et, ut se boni publici zelo ferri passim ostenderent, quisque in Principem jam attendere, ejus aulicos explorare, observare vias & sermones, &, verbo ut absolvam, quisque cāpit Chantarena esse. Hinc ergo, quod primum erat, novæ suspicōnes fugæ, rumores novi, fama nova. Et licet varia, tam constanstan, ut Chantarena ipse, proclivis eo, miro ludi-
brio, jam verè crederet. Adeoque & ipsum Principem, ad majorem securitatem, privare gladio, & dormienti, quod de tali Principe inauditum hactenus, vigiles adhibere sta-
tuit. Et fecisset, procul dubio, nisi intollerabilem præsumptionem hominis, Princeps ipse, minis seriis fregisset. Irritatus enim, qui spoliare gladio nitebantur, venire jussit non, nisi per cuspidem & mucronem, scilicet accepturos, ac una cum vita repor-
taruros. His ut Chantarena viētus, sic por-
ro magis sollicitus, & cuiusvis è plebe, de
fuga Principis, suspicōni credere, & ipse
plura suspiciari cāpit; sic etiam, ut, non
procul Regione cordis, sub mamilla, inver-
terato morbo affectum, Georgius Juch,

Lithuano-Vilnensis, tunc quidem Principis, nunc autem & Sacrae Regiae Majest. Chirurgus, in arte sua peritissimus, è consilio Medici, cum curaret; nec id absque dolore aliquo fieri posset, data opera ab eo fieri, quo se decumbente, commodius Princeps fugeret, suspicaretur. Et eo demum, crebris suspicionibus, dementia deventum est, ut, quadam nocte, invenirentur etiam, qui jam fugisse, & tribus ab urbe leucis, Vismum Principem, clamarent, & tumultu invalescente, Chantarena, magno cum strepitu, ad conclave Principis, properaret; quem ut in lectulo suo decumbentem vidit, pudore (si quis inerat) suffusus, infirmari eum, se audivisse, & visuatum venisse dixit.

Princeps Cisteronum transfertur, quod describitur.

Quamvis autem nulla re factove Princeps suspicandi occasionem faceret, ultero etiam, qui fugam suaserat, aperuisset, id nihil illi tamen profuit: tandem enim, jussu Regis, cum novem mensibus Salonaë custoditus esset, in Segestoriorum oppidum (vulgo Cisteronum) tertium carcerem transfertur. Est autem Cisteronum in limitibus Provinciæ & Delphinatus, ad Druentiam, sita Civitas; non amœnitate, non domorum stru-

ctu-

stura, nec plateis, nec templis, nec publicis
operibus, sed tantum asperitate loci, muro
duplici, & quod titulo Episcopatus gaudeat,
& utriusque Regionis, Delphinatus & Pro-
vinciæ, clavis sit, celebris & clara. Sedet
ad radicem præcelsi, Pyradimalis formæ, ad
quem accensus non nisi una via patet, cæ-
tera prærupti montis. Dorsum hujus Ca-
stellum ingens (modernum ævum fortalitium
appellat) occupat, cujus aditus &
ingressus duobus propugnaculis munitur.
Ab hoc dorso deinde scopulus tantæ altitu-
dinis, Cælum versus, eminet, ut vix homo,
in Castello constitutus, quis sit, è fastigio
agnosci possit. In cacumine demum hujus
scopuli (ad quod nullatenus, nisi per acclivos
gradus, adminiculo scalarum, perveniri
potest) parvulam Deo sacram ædem prisca
Gallorum pietas construxit, quam moderna;
mira metamorphosi, in Carcerem Johannis
Casimiri Principis convertit. Cum autem
hinc, nisi Dædalea arte, quenquam posse fu-
gere impossibile esset, nihilominus, hoc
etiam fortè Gallia timente, non solum angu-
stas fenestellas (quæ duo tantum lumen ad-
mittebant) ferro duplici, sed anfractum ca-

mini etiam, noviter exstructi, ne & hac via
foſitan Princeps fuga ſibi conſuleret, cratę
ferrea munivit.

Puccitellius
ad Princi-
pem festi-
nans, Aquis
Sextius non-
nihil detine-
tur.

Ad hunc ergo locum, tam altum, præ-
ruptum, horridum, ſolitarium, &c., è ſacro,
mox superbi militis insolentia profanandum, dum Poloniæ Princeps, uno curru, ſe-
jugibus equis, & ludibriis (quæ paulo infra,
ex ipſius met litteris, patebunt) ab inhumano
Chantarena rapitur, interim Virgilius ille
Puccitelli, quem ſupra Genuâ, à Bibbonio
Barone, jussu Regio, profectum diximus,
pariter ad eundem scopulum, in quem rapi
Principem iam didicerat, properabat. Causa
autem, quod opinione ſua tardius aveniret,
hæc erat. Promiferat ductor ejus, qui ta-
bellarius Avenionensis erat, ſe eatenus iter
direeturum, quatenus Aquas Sextias, &
Massiliam, non attingeret: ſed, fracta fide,
recta Aquas Sextias deduxit. Quarum ſubur-
bium cum nondum reliquifuerat, ecce Vere-
darius, qui in urbe paululum (qua de cauſa
quivis facile congettariſt) hærefat, à tergo ſe
oſtendit; &, non procul ab eo, quidam in ci-
tato equo, qui, Stentorea & imperioſa voce,
ad Gubernatorem Valesium revocabat.

injic

ff

Pa-

Paruit Puccitellius, &, ab emissario, ad præfectum, seu Magistrum (ut vocant) Positum deductus, ab hoc nullo alio præmisso verbo, descendere ex equo, sarcinas dimittere, & se insequi jubetur. Sic, cum famulo, ad Gubernatoris Palatum; hinc ad Superintendentem (ut vulgari verbo utar) Justitiae deducitur; ad quem mox introductus, quis, unde, à quo, quorsum, & ad quem missus esset, &, ut fieri assolet, de pluribus aliis, interrogatur. Quo-nihil celante, insuper Puccitellius binas litteras (quibus, in eventum, providè à Bibbonio instructus erat) alteras ad Sfortiam Nuntium Apostolicum Avenionensem, ut, officiis ejus apud Valesium interpositis, aditum ad Principem facilius impetraret; ad ipsum Valesium Provinciæ Gubernatorem, ejusdem sensus, alteras, porrexit. Quibus traditis, divertere nonnihil in conclave proximum jubetur, inde, admisso famulo, sed eadem respondente, mox, cum eodem Justitiae Præside, singulari gratia in rhedam acceptus, ad Comitem Valesium discessit. Qui, utriusque litteris perfectis, vocato Puccitellio, se Bibbonij Baronis, ejusque desiderio, satisfactum dixit;

dixit; sic ut ad Sfortiam Avenionem flectere
 quod necessarium esset; oportere autem,
 quatuor aut quinque dierum spatio, Aquis
 Sextiis commorari. Hoc vero hanc ob cau-
 sam Gubernator Præcipiebat, quod sciret
 Principem Cisternum tunc deduci; quem
 Conveniri, non in itinere, sed certo loco, à
 Puccitellio volebat. Nec ignorabat, ha-
 bita ratione temporis & viæ, post quinti-
 dum cum si dimitteret, certo certius in Se-
 gestiorum oppido, vel potius ejus sco-
 pulo, Principem inventurum. Itaque Puc-
 citellio, à militibus, ad certum diversorum,
 deducto, & custodiæ hospitis commisso,
 excussis sarcinis, manuscripta pleraque ad
 Valesium delata sunt. Dico autem pleraq.,
 quia sanctius illud negotium, cuius supra-
 mentionem fecimus, concernentia, perga-
 meno cuiusdam libri Puccitelli cluserat; nec,
 licet etiam in speco libro, (quem pro animi
 laxamento reddi Puccitellius impetravit)
 quibus id commissum erat, reperere.

*A Sylvano
Proditore
conveni-
tur.*

Sic calliditate Gallica delusa, die postera,
 Sylvanus ille Prodigor (quem, ut reum & sua-
 sorem fugæ, Salonaë ultro à Principe dela-
 tum, & à Chantarena subornatum, & negle-
 catum

Etum, & Aquas Sextias se recepisse diximus) sueta calliditate Puccitellum accedit, & se in famulitium à Principe nuper allectum dicens, ut detentionem ejus, ad eundem Principem se conferentis, audivisset, non potuisse non, etiam cum periculo vitæ suæ, eum visitare. Non esse quicquam pejus, in tota Gallia, Gallia Narbonensi, & Gallia Narboneſi, Aquis Sextiis. Fore fortassis aliquos, qui, humanitatis specie, eum inviserent, sed à perfidissima, & fallaciis plena gente, summè caveret. Cæterum Avenionem si veniret, Miskovium Gonzagæ Marchionem plurimum salutaret. Principi vero, humillima servitia sua deferendo, se, quod libertati eum, fugæ beneficio, restituere conatus esset, jam perpetuo exilio damnatum, & ingressu Galliæ, sub poena capitis, in æternum prohiberi, insinuare ne gravaretur. Ac proinde jam Genuam migrare, & supplicare Principi, ut, cum ejus causa plecteretur, opitulari etiam non nihil dignaretur. Se vicissim fidissimum, ut fuisset (veritatem enim hic dicebat nunquam fidus) ad vitæ terminum perseverare. Hæc autem submissa voce, trepidus, & & respectans, ac si undiq; hostiles oculos timeret,

referebat. Sed Puccitellius, ignoto homini non satis fidens, nihil, quod fidem & silentium mereretur, ei credidit: apud Principem vero, ubi rem non aliter se habere compreseret, patrocinio suo se ad futurum, spopondit. Licet autem, hominem proditorem esse, ab ipsomet Principe postea cognovisset, tamen innata sua bonitate Princeps, ne veterator pessimus, similia spargendo, famam suam lacinaret, &, eventu fallente, se derelictum penitus quereretur, redeunti deinde Genuam Puccitello, ut ei centum duplices Hispanicos numeraret, injunxit. Quibus acceptis, protinus in Galliam (à cuius ingressu, sub pena capitis, se homo perfidus in aternum prohiberi dixerat) & Aquas Sextias, & Avenionem in patriam suam, adeoque & ipsum Charentam, regressus est. Et hæ artes erant, quibus insontem Principem, quotidie, nequam homines exercebant.

Cisternum
ad Princi-
pem venit, &
bujus quere-
la.

Verum enim vero, ut ad Puccitellum revertamur, hic, præfixo detentionis spatio jam elapsa, à Valesio discedendi licentia impetrata, ejusdem litteris ad Charentam, quibus aditum indulgebat, instructus, Cisternum, ubi fore Principem ab eo etiā tunc intellexerat,

rat, perrexit, traditisq; litteris, cum Princeps
pridie fatalem scopulum ascendisset, ad eun-
dem, tempore matutino, postridie pervenit.
Quo viso, Princeps, ad osculum porrecta ma-
nu, indigesta adhuc præsentium rerum indi-
gnatione, in hæc lamenta ferè prorupit. In
hisco calamitatibus & ærumnis, adventus tuus,
solatio simul & pudori est: solatio tamen magis,
quod Regi Domino meo Fratri, exerceri solitos,
in me insontem Principem, continuos Phalarismos,
& has, quas vides, miserias, in quibus vivo (si
tamen vivere est ubi assidue moritur) oculatus
testis, annumerare possis. Ecce quomodo, inso-
lenti ludibrio, non mortuus, & quotidianæ morti
superstes, de terra ad Cælum feror. Et, cum tur-
ritas urbes, & summa templorum culmina, quasi
sub pedibus habeam, hoc prærupto scopulo supra
montium cacumina evectus, ubi nil fere nisi cœ-
lum est, cælo tamen libero non datur frui, nec li-
berè oculos circumferre; dum hic ferrei cancelli
vetant, ibi vilissimus miles interdit. Pu-
tasne quicquam etiam calamitatibus meis addi pos-
se? Soli propior quasi apud inferos vivo, ubi
tenebrae, & nullus ordo, sed sempiterminus horror
inhabitatur. Hæc duo foramina, ne vitro qui-
dem, contra injuriam aëris, munita, vix tan-

tum etiam meridianæ lucis admittunt, quod scrip-
tioni, quod lectioni sufficiat, nisi proprius acce-
das; Et tamen, si quis intrare ad me velit, hoc
ostium, hæc Ditis janua, pandatur oportet prius,
ut venienti, hujus tantillæ lucis, aliquid com-
municetur. Quem cernis deniq; hunc angustum
carcerem, ad cuncta vitæ necessaria, solum ha-
beo. Hic sacra, hic profana, hic mensa, hic
quies; Et quicquid porro vilius natura postu-
lat, peragendum est. Quæ tanta, non amplius
inclemensia, sed tyrannis dicam, sic me afficit,
ut totus penè mortore, Et rerum tædio, conta-
bescam. Contabescam, repeto, Et persevero;
magis enim urgent sæva inexpertos. Taceo præ-
teritas injurias, cum detentus, cum hinc inde ve-
luit in triumphum ductus, cum rigidissimæ custo-
diæ mancipatus, cum à meis fidelissimis Servito-
ribus sejunctus, Et plura alia perpresso sum, que
gravissima quidem, paulo ante, existimabam,
nunc autem, ab hesterna Et hodierna die, lenis-
sima fuisse fateri cogor. Quid plura? Etiam
me privare gladio, Et quiescenti Vigiles adhibere
constituerant; Et fecissent, nisi me irritato ac mi-
nitante abstinuissent. Sed de his hactenus.
Tu, quæ vidisti, care differas suæ Majestati fu-
stus referre. Quantum autem ad liberationem
meam

meam attinet, de ea, ad Regem Fratrem, plures dedi litteras, sed, cum rarissime respondeatur, rarissime quoq; ad manus ejus peruenire suspicari prouum est. Nunc autem Butlerus supremus Cubicularius meus (quem in Poloniā mittere destinaveram, & prius ad Christianissimum alegare coactus sum) me certiorem facit, nunquam libertatem, nisi mediante Polonica legatione, à Rege fratre missa, me asseturum. Ego vero, licet videam & agnoscam fines politicos transcendи, & iniqua peti, tamen quia nec animus, nec vires sunt, ad tam horridum vilemque carcerem tolerandum diu, tu, cum primum Genuam reversus fueris, hac de re Majestatem suam, per litteras, informa. Et, cum ad Aulam redieris, meo nomine, insta & urge, ut, relictis, tanquam frustraneis & supervacuis, aliis quibuscunq; mediis, legatio quamprimum decernatur. Puccitellius, cum threnos Principis piis lachrymis excepisset, omnia, debita diligentia & fide, se executurum dixit.

Interim, jam præparato prandio, Chantarena accedente, querimoniis nonnihil ingyrum actis, refectioni, à sola loci personæq; ejus præsentia tædiosæ, vacatum. Sed nunquam Princeps tantam Chantarenæ humani-

Puccitellius
à Principe
discedit.

tatem, quantam ea die, expertus est. Cum enim hucusq; nulli externorum, nisi se præsente, colloquium indulisset, jam, mirante Principe, toto mane civilius se subduxerat, &, absoluто prandio, iterum divertit. Tum Comes Konopatscius, totius detentionis lacrymosam historiam, Principis innocentiam, Ministrorum Christianissimi, & ipsius hujus Chantarenæ fraudes, dolos, rigorem, & sævitiam, fusius Puccitello enarravit, & tandem hoc verissimo finivit. *Vides ergo, mi Puccitelli, ut nunquam pernitiosa servent modum.* Inde Princeps, de Rege, de Regina, de Sorore Anna Catharina Constantia, de Fratre Carolo Ferdinando, Vratislaviensi & Plocensi Episcopo; totaque aula suæ Majestatis, plurima interrogavit. Ad quæ singula cum Puccitellius respondisset, jam vergente die, mitente Chantarena etiam, finiendi tempus esse, rursus omnia Princeps in memoriam revocavit, & tandem, ad osculum porrecta manu, à se dimisit. Quemad portam Chantarena ducens, &, quid ea die præstisset, si bi conscius, exinde statim humanissimus visceri voluit; &, lenitatem suam extollendos, Quanquam pluries in mandatis haberet, inquit,

quit, tam à Rege, quam Domino suo Gubernatore Provinciæ, Strictissimè Principem observandi, multa tamen, ad solatium & levamen ejus, se permettere, & hucusque permisisse; & nihilominus ei satisfacere non posse. Cui Puccitellius: humanitatis officia ab hominibus exercenda, respondit, quod si fieret, nunquam in deterius accipienda. Quo dicto exiens fatalem scopulum reliquit, & sequenti die rursus Genuam perrexit.

Princeps autem, adhuc eadem vespera, hisce litteris, ad Valesium, Provinciæ Gubernatorem, Aquas Sextias directis, sic recentia viæ ludibria, & præsentem carcerem indi-

*Principis
littera ad
Gubernato-
rem Provín-
cia.*

gnatus est.

Excellentissime Domine.

EThoc merui candore meo? Antea ideo reus quia captivus, nunc, quia ingenuè fassus sum, me non consensisse, in oblatam mihi, à quodam Gallo, liberationis occultæ speciem, novum crimen commisi in Regnum Gallie. Mox, inexorabili severitate, sexigis Saloniā abruptior, per prærupta \mathcal{E} in via, ubi Mundus axem nunquam vidit; trahor populis insibilum; compitis \mathcal{E} vicis in spectaculum ducor. Et (quod indignant etiam risum movet) postquam, ab obviis villarum consulibus,

sulibus, nomine Excellentiae Vestræ, salutatus,
 promissis beneficiis & officiis me afficiendum pu-
 tavi, veniens in ipsorum oppida, sordidis ubique
 ergastulis intrudor. Heri tandem, post tam hu-
 manas tractationes, ferali Cisteronensi carceri,
 ut delitescam, inclusus sum; ipso loco non solum
 ignem & aquam negante, verum etiam cœli lu-
 men. Non barbarus, non Ethnicus ullus sic
 illusisset Regio & innocentis sanguini. Si non Re-
 ligio, quam cum lacte imbibit, aliud suaderet, fa-
 cerem & ego (quod ingenuis laudabile) & po-
 tius periculosè paterer, quam turpiter. Sed Deus,
 quem credo & spero ultorem, & in voto vindicem,
 authori injuria, quam patior, retribuat.
 Nam sentio me mori. Ultinam finale decretum
 acceleret Curia Gallica; non quale meum deli-
 citum meruit, sed quale ferre consuevit. Non
 expecto, nec supplico, ut in peregrinum sint mi-
 tiiores, qui erga suos naturam exuerunt. Soli
 hæc, Excellentiae Vestræ, scribo, quæ afflito dolor
 dictat; quem amico manifestasse levamen est.
 Dum hoc mærore me fatigo, ecce advenit Virgi-
 gilius Puccitelli, Serenissimi Regis Polonie, Fra-
 tris mei, Secretarius: ad cuius adventum erubui
 citius quam garvisus sum, quod metam calamito-
 sum reperisset. Gratulor nihilominus quod
me vi-

me fatigo, ecce advenit Virgilius Puccitelli, Serenissimi Regis Poloniae Fratris mei Secretarius; ad cuius adventum erubui citius quam gavisus sum, quod me tam calamitosum reperisset. Gratulor nihilominus quod me viderit, Et gratiae Excellentiae Vestrae aeternum debebo, quod Serenissimi Regis Fratris mei fidelem Secretarium ad me ire permiserit. Resto

Excellentiae Vestrae
Gisteroni 24.
Febr. 1639.

Addictissimus,
JOHANNES CASIMIRUS

Princeps. Lituaniae

Ad hasce litteras Valesii responsum, doleo ad manus meas non pervenisse; lenire vero indignationem Principis conatum, ex sequenti response hujs manifestum est.

Alia ejusdem
ad eundem,

Excellentissime Domine.

Exhortatur me Excellentia Vestra ad patientiam, in hac tam iniqua fortuna: accipio, a candido monitore, affectum grato animo. Inniudit tritus equidem sum legi, quae docet, Christiani effa perferre patienter injuriam; an autem Christianus missimisit, eam innocentii irrogare, Dei & Orbis

judicio relinquō. Non tamen extra exemplum
 Legislatoris fecero, si querar, & quæram, à per-
 cussore injusto, Cur me cædis? cum supra decus
 id cuiusq; probissimi semper putatum, alienis im-
 peti criminibus & tacere; infamia notari & non
 sentire; pati, ut parricida, & ad immeritam pæ-
 nam non ingemiscere. Si pietas, si justitia in Gal-
 lia, cur mihi id non conceditur, quod jus, fas, le-
 ges, & plebiscita omnium nationum cuivis reo
 permittunt, ut possit ad objecta respondere? Ego
 indemnus, inauditus, indicta causa tantæ carnifi-
 cina à Christianissimis subiçtor! Sæpius me Ex-
 cellentia Vestra, suis consolationibus, in meliorem
 spem erexit, & hoc præjudicium ac periculum,
 quod patior, libertatis, fortunarum, & vitæ
 meæ, aliter, nec nisi in bonum, interpretari jussit:
 Verum, cum tam obstinata in me videam odia
 Christianissimi, quid aliud, præter interitum
 meum, mihi persuadere possum? Misinuper, sua-
 su Excellentiae Vestre, Parisios supremum Cubi-
 cularium: dedi litteras amicas & humiles, ad
 Regem, ad Cardinalem, à nullo horum admissus,
 litteræ meæ non receptæ, contemptim ipse habi-
 tus, & spernaci supercilio à quovis officialium
 Curiae spretus. Taceo priorem Secretarium
 meum, quem Rex, ad primum conspectum, exe-
cra-

oratus, aula sua excedere ju^sbit. Ego supplicia-
Et tormenta omnia, quæ mihi à Gallis infligun-
tur, debeo credere esse benevolentiam, Et huma-
nam tractationem; cum ipsi, in supplice Et capti-
vo, sibi persuadeant, aut fingant hostilitatem.
Quasi vero me lateat, etiam venenum mihi de-
stinatum, si Q. Catuli supplicium, cui jam subje-
ctus sum, minus efficax in mortem meam fuerit.
Gallæ id, amicisq; confederatis, sic expedire, ut
moriar? O ingeniosam crudelitatem! O miserum
Galliæ statum, quem Numinæ non fortunarent,
nisi illis, externi Et innocentis Principis sanguine,
sacra fierent! Quacunq; tandem morte peren-
ptus fuero, sciet posteritas, me dolo Et fraude,
sub humanitatis specie, à Gallis captum, Et per
imposturam imperfectum: nec surdior Deus ad
vocem sanguinis interempti à cognato erit, quam
quondam fuerat in casu à Fratre. Nolo credere,
compellor tamen dicere, Et id Excellentiae Vestræ
scribere, quod sapientius audio; nimirum Champi-
niū quendam esse, familiarem Excellentiae Ve-
stræ, qui in perniciem meam, inquis informatio-
nibus, instigat Regem Et Cardinalem. Nescio
quomodo offenditerim quem vix vidi, Et quomodo
placare possim quem nunquam læsi. Gratuita-
odia esse scio, Et hominem homini lupum, Et ho-

*minem homini Deum; quem ut in Excellentia
Vestrareperi, sic veneror aeternum.*

Excellentiae Vestræ

*Cisteroni 24. Mar-
ti, Anno 1639.*

obligatissimus,

*JOHANNES CASIMIRUS
Princeps.*

*Rerum hu-
manarum
vicissitudo.*

Libet hic rerum humanarum vicissitu-
dinem, & quam nihil, in hoc Orbe, cuivis
etiam fortunæ exemptum sit, pauculis admi-
rari. Hic tantus talisq; Princeps, cui longa
annorum series, in Regnatrice Domo, Reges
Avos, Patrem Fratremq; potentissimos, con-
cesserat; cui Cæsar patruus, Rex Catholicus
consobrinus, & ipse Christianissimus cognac-
tione & affinitate junctus erat; cui denique
Oriens devotus, Septentrio obligatus, etiam,
quâ Europa patet, extremus Occidens, inte-
gra Hispania, per Italiam & Meridiem, sum-
mo cum honore, venienti, congratulationes,
summosq; plausus destinaverat, dum appro-
pinquat, subito captivus, duro carcere man-
cipatus, à familiaribus abstractus, contagio-
so loco, scu exitio destinatus, perseverare
jussus, vulgi sibilis, & militum ludibriis ob-
noxius, tandem, supra juga montium, per-
scalas

scalas lignicas, in nudam cautelem, & abruptum,
scopulū evectus, in eum locum rapitur & re-
ptat, quem aquam & ignem, & gratum cœli
lumē, negare, ipse queritur & profitetur. Nec
tamen ibi tutus, hoc tam sævo carcere sæviora
metuit, & subinde trepid' & respectans, nunc
cicutam, nunc sicarium veretur. Qui, pau-
lo ante, magnis quoq; jubere sueverat, infe-
rioribus parere jussus, eorundem etiam, à
quibus læditur, patrocinium requirit. Et
laxa palatia habitare solitus, in angusto car-
cere anxiè se torquens, nunc Lutetiam, nunc
Aquas Sextias, mæstus respicit, & , quam in-
partem se prius vertat, sollicitè meditatur.
Quin & iræ cuiuslibet obnoxius, vilissimos &
ignotos, nec læsos etiam, mitigare volens,
quos prius placet, &, quorum misericordiam
roget prius, dubitat qui misereri potuit.
Denique (ô ludibria!) Princeps & captivus,
dum & hunc se esse ingemiscit, & illum non
obliviscitur, affectu vario, simul supplicat &
indignatur. Insigne, herculè, fragilitatis hu-
manæ documentum. Sed, quod miserri-
mum etiam erat, Princeps, ad præterita (qua
non quidem corrigi, repréhendi tamen po-
terant) revolutus, jam seipsum, dicet inno-

cens, non absolvebat. Tum enim Astrologus, qui Varsavia discedenti, à Gallis, hoc in itinere, caveret sibi, dixerat, in mentem redibat: &, licet hominem, & artem ejus sèpius fallacem, tamen id malum omen contemni non debuisse, identidem sibi obijciebat. Jam quam facile Genuæ sedecim triremes illas Neapolitanas, cum quibus Comes Monte-rejus tam feliciter Barcinonem in Hispaniam transfretasset, expectari potuisse? Nunc octidui moram, quæ petebatur, tot mensium vi- li carcere pensari. Neglexisse etiam Comitem Konopatscium, & Butlerum supremum Cubicularium suum, dum, ad S. Turpinum, cum proditore illo semigræco Massiliensi Godefrido, in triremis sequacem cymbam-descenderet; non nimium videlicet Amicitiæ Gallicæ, in hac conditione tempo-rum, fidendum, provide monentes. Et cum perfido & ignoto homine (quod jam tot inanibus commentis occasionem da-ret) Massiliam equitasse; cum è diversorio, in portus margine constituto, transacta no-
te, & horis aliquot decocta nausea, in triremem regredi, prout idem Comes Ko-nopatscius cum Butlero suaserat, potuif-set.

set. Nimirum innocentiae suæ; nimirum ci-
vilitati, humanitati, & candori Gallico; ni-
mum etiam Poloniæ Galliæque Regum Re-
gnorumque amicitiæ, animorumque con-
junctioni, tribuisse: cum nunc in contrari-
um omnia, & in Chantarena Gallos, in Ci-
sterono Galliam experiretur. Hisce &
similibus Princeps, in illo tam diro carce-
re, primis, sed continuis, diebus aliquot,
nondum animo ad rerum præsentium
patientiam formato, sæpiuscule sibi indi-
gnari, & propriam innocentiam, cando-
rem, & fiduciam; ante tribunal suæ men-
tis, citare, accusare, condemnare, & pro-
ut sit, se virtutibus suismet reum facere,
perseverabat. Donec tandem, variè va-
gantem animum, Comes Konopatscius, &
Confessarius Lejerus, profundæ sapientiæ
consolationibus aggressi, in sedem suam re-
ponerent, & Christianam ad patientiam fir-
marent.

Interim, de quibus supraegeimus, Johan-
nis à Lipie Lipski, Archiepiscopi Gneſnenſis,
litteræ, hanc captivitatem Principis pariter
indignantes, ejusque culpam aliquam, ut
yidimus, in Claudium Memmum Comitem

*Responsum
Legati Gal-
lici ad Ar-
chiep. Gne-
fensem.*

D' Ayau.

D^r Avaucium, Regis Christianissimi, ad Septentrionales Provincias, Legatum, non acutè minus quam eleganter, rejicientes, ad ejusdem manus, Hamburgum jam pervenerant; quæ valde Memmianum quoque cerebrum, moventes, hujusmodi responsum extorse-
runt.

Illustrissime Reverendissime Domine,

Pateretur justam meditati responsi moram, gravis illa & uchemens, totque eloquentia luminibus interlita, Celsitudinis Tuæ, an Epistola, an indignatio; quæ, Kalendarum Januariorum titulo inscripta, Martiis nunc primum, mihi reddita est. Tristes sanè Kalendæ, ut erant olim ære alieno oppressis. At, ne tempori indul-
geam, aut stylo, facit, & sui doloris, & tui, im-
patiens animus. Sine me tecum, Præsul scien-
tissime, Latini sermonis Majestatem retinere
facebat internos nova ista titulorum servitus, qui
seriem sermonis abrumpunt, sententiam sèpè con-
torquent, & animum, per tot flexus, avocant, ut
bodie facilius Deum alloquaris quam hominem.
Scio quantum tibi, Viro Principi, quantum illis,
quos adeptus es, nominibus honorum debeatur.
Adeoque eximo peccatore gratulor, quod propriæ
dignitati (quæ est per se maxima) tantum fasti-
gium,

D^r AVAUCIUS

gium, tantoque in Regno secundam potestatem
adjunxeris. Neque, procul dubio, summos Rei-
publicæ Tuae gradus, in illa Aulicorum turba,
quisquam est, qui vel, tuis ingentibus meritis de-
ferendos, constantius senserit, ac passim prædica-
verit impensius; vel, delatos, veriori gaudio
intellexerit, quam extraneus ego, Ego cultor, non
tua fortuna, sed virtutis. Alias tamen, si
tibi ita videbitur, servabo omnes ad amissum re-
tus, atq[ue] hujus ætatis mores; nunc, qui iræ pro-
pior, festinantius scribo. Liceat mihi non tar-
dare honestissimum rectæ conscientiæ impetum,
Ego, Verborum quoque seculo, inornatè aggredi
quod res est; ut ipsa, quæ simplici sermone dele-
ctatur, veritas postulat. De intercipiendo
Principe Casimiro ne per somnium quidem cogita-
vi, imo nec intelligo, ullâ ve etiam conjecturâ as-
sequor, ecquid re sit istud, sive proscenium, sive
protasis, cuius, jam à quadriennio apud vos in-
strui cæpta, insimulor. Egone fatum Princi-
pis composui, Ego, ipso celo potentior, ut infensus
esset Galliae, utq[ue] illuc se conferret, effeci. Hæc
tam cæca, tam absurdæ suspicio, non movit mihi
stomachum, sed risum. Vix vero similius quod
succedit (neque enim una calumnia impator)
fusarem ac incentorem me illius detentionis fuisse;

T

nihilq[ue]

nihilq; in tantare nutantem Regium animum voluisse decernere, donec meæ quoq; authoritatis præceptum illuc aliquod pervenisset. Miræ obtrectandi artes. Augetis mihi dignitatem ut augeatis invidiam: Et nunc me futuri præcium, Et ipsorum casuum impulsorem, comminiscimini, nunc res Gallicas, Et Regia consilia ex Hamburgo moderantem. Scilicet is Galliæ status est, ea ibi hominum politicorum penuria, ut per tot terras Et maria consulendus sit, qui id genus negotiis nec intresset præfens. Quæ meæ quidem in Germania sunt partes, quæ ad legationem istam pertinent, in iis haberi possit, ratio fortassis aliqua meæ, vel opinionis, vel operæ: at de Principe Austriaco, ex Liguria in Iberiam traiacente, Et hostile quid in Galliam moliente, quid ad me, in alio quasi Orbe positum, aliis omnino rebus intentum? Et (qua mea aut negligentia, aut religio est) numquam hactenus demandatae Provinciæ fines transgressum? Valde me nesciunt, qui mihi tam longas manus, Et tam vastam laborum, ac molestiarum, cupiditatem affingunt. Ego vero, quod agendum incumbit, hoc ago, Et sedulo quidem, ut scit Polonia: Sed, cætera incuriosus, partem aliam Republicæ nullam attingo, Et, quotunque per Regem licet, otio suavissime perfruor. Quin etiam,

etiam, occupationis plusculum hic mihi esse, quotidie doleo; tantum abest ut accersam novas, & alienis me curis obtrudam inquietus. Quorsum ista? inquies. Nempe ut intelligas quantum à vero aberrent, qui me causam dedisse decreto existimant; cuius ego ab Aula hoc demum nomine certior factus fui, quod, illius causas ut nossem. & Illustri Baroni D^r Avaugour, apud vos Agenti, transcriberem, expedire visum sit. Et ita serem habere, bona fide affirmo. Ne quid tamen dissimulem, aut justissimi facti invidiae parum fortiter subducere me videar, ejusdem mandatis obtemperatus, subjunxi, jure fecisse Regem; sic enim plane sentio. Galli Principem Casimirum, superioribus annis hostem, hostilis nuper in Gallicam agminis ductorem, nunc ad hostem, flagrante bello, transeuntem, in littoribus nostris, non vi ventorum, sed studij, erga partes, sui adactum, ibi, ficto nomine, arcifinia Regni clam perrequentem, jure legeq; apud omnes gentes usitata, & exemplis innumeris, atq; etiam vestris, comprobata, detinuerunt. Grande nefas, exclamant Vestrates: nam, sanguini & amicitiae fidens, viator iverat. Veniam præfari debeo, priusquam occurram objectionem, à re, & à mente Principis alienissimæ. Pro amico ille se gereret, qui non modo

propriis, sed alienis etiam inimiciis contra nos
arsit? Neve quid intentatum relinquere, no-
vo se Francorum hosti addixit? Hoc si admittit-
ur, merito ipse sub alterius persona latitare vo-
luit, Et amicus verè incognitus ad nos accessit.
At vero qualis Viator, qui, iturus in Hispaniam,
cum solvisset Genua, mox statim deflectit in Pro-
vinciam, ejusq; arces, ac propugnacula, jam
Hispanis saepius tentata, perlustrat, quo se illis
magis probaret, Et, tot adhibitis cautionibus,
nunc Massiliam, nunc Telonem Martium, aliosq;
subinde portus, non terra, ut expeditius iter actu-
tius fuisset, sed mari, tanquam novus semper ad-
vena, appellit. Qui sic intrabat, hospes an ho-
stis erat? Sed quid persequor singula? Tot
tantisq; iudiciis Austriacus animus sese prodidit,
ut ipse Magistratus, sola legum authoritate, ac
muneris sui ratione coactus, inconsulto Rege,
Principem sub custodia habuerit. Eum itaq;
Rex detinere jussit? Minime: sed detentum,
non jussit dimitti. Quo enim modo id potuisse?
frementibus populis, cruentas hostium manus re-
cens expertis? Id Rex, mihi crede, Vestri con-
templatione, tulit acerbius, Et præceps illud
consilium Principis magno redemptum cuperet.
Sed, animi celsitudine justos metus non aversan-
te,

te, mederi vix potest nisi velit Provinciæ securi-
tatem periclitari, imo & fidem. Hic Vestri
rursus insurgere; & facundia tua audaciores,
indulgere affectibus suis; multasq; per elegantias,
multa nobis convitia facere. Non habeo equi-
dem quod tam ingeniosè reponam: sed mihi si ars,
si verba, & libertas orationis, desunt, at fas
& æquum, at ius gentium, consuetudo Princi-
pum, & à vobis ipsis petita exempla abunde sup-
petunt. Nonne ipsum Regem nostrum Ve-
strumq; innoxie ad suos, & ex necessitate abeun-
tem, persecuti, detinere voluistis? Nonne Le-
gatos Imperatorum, ac nostros, quod suspecti,
bi non petita venia Poloniā intrassent, detinuis-
tis? Jam ego mitius agam vobiscum, magnum
licet regerendi campum nactus; non dicam vos
insidiatores, non Majestatis reos, non si quid in
orbe sancti, violatores. Quin potius, quā Polo-
nos utcunq; tuerar, præsto erit Romanorum au-
thoritas, quorum Provincias occultè transeun-
tes Macedonum Legati, felici prius evasere
mendacio, mox vero capti sunt Romamq; dedu-
cti. Id autem Principis Vestri Amicis (utinam
ne & Vestris) familiare. Illi Philippum Au-
riacum, nihil hostile, vel per ætatem, cogitan-
tem, bello nondum cæpto, sed re ad bellum incli-

nante, Patre nondum hoste sed tantum suspecto,
captivum in Hispaniam abduxerunt. Idem
Johannem Nassovium, qui nec arma contra ipsos
tractaverat unquam, nec partes Mauritij Agna-
ti sequutus erat, Neapoli in careerem detruse-
runt; tum quia esset e gente Nassovia; tum ma-
xime, quia, mutato nomine, Regnum, peregri-
nandi animo, lustrabat. Neque illos Regio
sanguini pepercisse fidem facit Leopoldus Austricæ,
qui Richardum Angliæ Regem federatum, atq;
ex communi in Barbaros expeditione redeuntem,
quod Viennam mentito habitu, privatas obsimul-
tates, venisset, in vincula conjecit. Mitto cæ-
tera, quæ in hanc sententiam præstant, argumen-
ta, & prejudicia, ut alias objectiones refellam.
Nostros ei nequaquam insidiosos esse, qui sponte ad
illos, nec opinanter, venit: Sed insidianem occu-
passe, res ipsa declarat. Nemini Gallia Via-
tori insidias struit, nec ipsis utique hostibus, cum
suas illis ditiones obambulare visum est; imo cum
e re ipsorum fuit. Adeo generosa indole,
quos armatos terra marique persequitur, sui co-
piam potentibus facit. Non longe abierimus.
Hoc ipso mense, recrudescientibus licet odiis,
Christianissimus Rex Marchioni Mirabellio,
in Hispaniam ituro, atque & Bellum adversus se
gestu-

gesturò, transeundi totius ferè Regni potestatem fecit, ac, per longum iter, deduci juvariq; voluit; cuius capiti, quamprimum casside tectum fuerit, non parcemus. Hæ sunt nostræ insidiae, hæ technæ, quibus & Carolum olim tantum Imperatorem, tantum Gallici nominis hostem, exceperimus. At ille fortasse nihil profuisset, detentus, expectanda fuit occasio nobis violandi juris uberior, ut, quod in Carolo deerat, sortiremur in Casimiro. Ignosce & tu, Vir Illustrissime, dolori meo, & agnosce mecum liberaliter, tuo more, non captasse nos ullum inde commodum, sed imminenti periculo viam duntaxat præcidisse, ut vel ex eo liquido constat, quod Principem libentissime dimissura Gallia hoc unum sibi careri petit, ne quid inde detrimenti capiat. Potestne conditio honestè ab eo recusari, quem vos nobis amicum, & amicitiæfidentem, ivisse profitemini? Potestne Poloniæ durior videricautio, quæ nihil aliud præstet, quam benevolentia erga nos suæ, ac proprij instituti constantiam? Certe aut me mea valde fallit opinio, aut ad subasperas litteras officiosè admodum & fraternè rescriptum est. Desine interim, quæso, mi Domine, in Galliam nostram, Gallicaque consilia, in uebis & invidiosa comparatione Sarmaticam tantope-

re ven-

re venditare innocentiam; aut enim ore sim du-
riusculo necesse est, aut ad contumelias istas com-
movear oportet vehementius, dum tam indignè
nobiscum agi video. Potuerit olim magnus ille
Johannes Zamoscius (ultimo Polonorum dice-
rem, nisi mea jam satis superque verba argueren-
tur) potuerit, inquam, illa ætate, liber as adhuc
E magnificas voces emittere, atque incorru-
ptam gentis Vestræ simplicitatem, apud summos
Pontifices gloriari. Verum enim vero, ab excessu
tanti viri, quæ non subinde ratio tuendi status
visa est? statim honesta, si utilis. Quæ cacopo-
litia (ut reddam tibi justissime voces tuas) nec in
uno exemplo, unove Regno consumpta. Certè
has Regnandi, Regiaeque Domui prospiciendi
artes Gallia non novit; Eistud, quicquid est,
sive Theologiae, sive Politices, vobis non invida
non invita permittit. Quod scribis, de
Rege, E Gentilibus meis, non esse querendi lo-
cum, recte id quidem, licet nolens, affirmas: sed
quæ sequuntur, damnari jam illos ab Orbe Chri-
stiano, planè miror, quomodo tibi viro prudenti,
E Regibus uti sueto, exciderint. Parcius ista;
quæ dum ego jure perhorreo, ferendus tibi sum,
imo vero etiam laudandus. Nullus est, pace tua,
inter Christianos nullus (nisi quibus mali rerum
inter-

interpretes affectus tenebras offendunt) qui vel
in omnes nostrates, vel in paucos, culpam trans-
ferat, quæ unius est Casimiri; ut palam ac publi-
cè Germania, (nisi quæ libertatem amisit) Dania,
Anglia, Italia, atq[ue] ipsius Poloniæ Vestræ magna
pars, sentiunt. Sapienter mones publici judicij
pænam quavis alia esse longè graviorem. Scio
jus perpetuo idem manere, & ad æternum fame
tribunalisti, quotquot in Orbe, Reges, ac terra-
rum Dominos; qui si, potentia sua abusi, iniquius
quid in alios statuere, causam ipsi dicunt omni-
bus sæculis. Sed nec me fugit, inanes querimo-
nias, nocentissimo cuiq[ue] familiares, ad tam grave
posteritatis examen non admitti, aut, admissas, in
ipso redire, quinec justè agere nec æquo animo pa-
tipotuerunt. Hæc scripsilaceſſit, non ut perstrin-
gerē vos (à quo ego ne vivam si non longissime ab-
sum) sed ut tuerer nostros, & injuriam publicam
propulsarem. Quod & invitum fecisse, & tibi à me
scriptum memineris, ab amico ad amicū, à Mem-
mio ad Lipsium, pæne dixi Lipsium, tanta est in-
ter vos cognatio nominis & stylī. Nunc purgabo me
tibi in propria causa placidius, & improprijs tuis,
multa profusis favoritate, sic me expediam. Non
solct esse officiorum commemoratio grata, si ab ijs
fiat qui contulerunt; quasi enim exprobrante & au-

diantur. Mihi vero jucundissimum est in deliciis fuit, qui mihi a vobis honores, domi forisque habiti fuere, quae magni Regis admirari auram, quae vestra in me certatim studia, et dulcissimus consuetudinis usus, iis me omnibus, beneficio tuo, rursus frui, et operam meam tanto teste probatum videre, atque, in brevi velut tabella, egregij artificis manu, delineatam faciem legationis apud vos meae. — Etsi enim inde gravius succenseas homini tot nominibus devincto, etsi ego me jaetandum in aere Vestrorum esse profitcar, id ut ignoravia, et turpi muneris desertione dissolvam, non est mihi consilium Quirites. — An igitur, ut essem meritorum, erga me, Vestrorum memor, mei erga Regem officij obliviscendum fuit? An, ut grati animi laudes malis artibus consectetur, debui aut mandatis Regiis deesse, aut, ignobili prorsus vitio, quod sentiebam mentiri? Sed, fac debuisse, quid tum? Non ego Principem Casimirum contumacia mea, aut silentio liberasse, non late jam sententiae intercessisse. Interim tamen Vester ille Nuntius veris falsa permiscuit, et irae meae Vestræ videlicet obtulit, ne nihil fecisse videretur. Quam vereor, dum hoc tecum reperio, dum hos motus animorum, atque hanc tantam, in imberitum me, invidiam cerno, ne et gratiam

gratiam prius Vestram non meruerim, & qua-
mihi interdum solebam dulci Poloniae recordatio-
ne placere, totum id fate cuidam acceptum ferre
oportet. Profecto dolgo vicem meam; eoque
magis dolco, quod subdubitas num istos de me, iu-
ore gravissimorum hominum, sermones, & amico-
rum indignationem pensi habiturus sim: At ego
fateor, Illustrissime Domine, casum hunc, pro
me in vos obseruantia, sic tuli, ut nihil, mul-
tos ante annos, molestius; & in maxima infelici-
tatis meæ parte constituam, nisi me, ut rogo atq;
obtestor, æquitate & authoritate tua liberes istos
invidia, & qui de metam preclarè sensisti ha-
bitenus & scripsisti, tuum unum amicum ac judi-
cium tuearis. Suspexi te semper, ex quo tua
virtus mihi innotuit; tui cupidus in Poloniam
veni, admirator recessi; colui te absentem, ama-
vi (itame Deus amet) etiam hostibus amicum,
& Austriacæ Sponsæ blanditia dicentem, ali-
quo in nos aspersas sale. Vim eloquendi tuam,
in arguento non grato, gratissimam sensi; &
oblectationis istius socios quo plures adsciscere po-
tui, eo plus mihi, perpetuoq; meo de te judicio, fa-
vere visus sum; nunc deniq; iratum & minitan-
tem etiamum veneror. Quid ni ergo & tu me,
justa officiorum vicissitudine, etiam à te, aliqua

in re, dissidentem, complectaris? *Quique mihi
ornamento nuper eras, nunc quoqz sis præsidio, ut
te meorum omnium temporum fautori prædi-
cem.* Quod ut oneris alacriori animo subeas,
obsecqr studio in hanc causam tuo quam officiosis-
simè; nihil prætermissurus quod meæ sit opis, *E*
sine Galliæ periculo fiat. Mihi enim, (affir-
manti credere) certum est, quà licuerit, tuam
tuique similium amicitiam retinere. Verum,
ut cunque res cessura est (pace tua dixerim) cau-
ſæ nihil video, cur gentis Vestræ benevolentia
nos Galli, tanto tamque pro merito bono, care-
remus. Non enim Poloniæ Principem detine-
mus, sed Lusitanie Proregē; non amicæ gentis con-
ſilia, sed partes infensissimi hostis secutum; non
Polonici nobiscum fæderis servantem, aut Polo-
nicis usibus servientem, sed Patrios mores exo-
sum, *E* privatæ omnes fortunas, procul à Vo-
bis, cum aliqua etiam injuria Vestræ, queritan-
tem. Jam dudum ille ostendit, quantum res-
rationesque suæ, à Vestrīs differant, qui arma-
adversus Galliam tractabat, suoque ad pugnam
hortabatur, sub ipsum tempus quo magis incal-
cebant ejusdem Galliæ in Poloniā studia; quo
Vestrīs ego militibus, cum in hostes summa vi *E*
majoribus animis ruerent, nudum pectus objiciebā,

non

non ut cohicerem generosum impetum ex honestissima Religionis causa obortum, (cujus ipse mihi conscius eram) sed ut quieti Vestre vel consulerem, vel certe, partibus jam adjunctus, una vobiscum sorte uterer. Non ignota loquor. Stetisti
 Et tu, Vir fortissime, in illa acie, ut armatos sisteres, nunc his nunc illis ob vius, cum ipsi per calcatum penè pergerent Regni Cancellarium, tantæ dignationis Virum. Tunc Vester, ut dixi, Princeps, expeditionem Gallicam adornantibus Austriacis, se suasque copias alacris addebat, quasi non ad prælium, sed ad prædam, opulcentissimi Regni, proficiseretur; Et gravissimo quidem Galliæ discrimine, in quam nempe hostes, tota Imperij Regnorumque suorum mole, undequaque incubuerunt. Sed, favente Deo, sustinuit immota, Et fregit tantas Viress potuitque, vel proprio periculo suo, Casimirus Princeps, vix non à nostris captus, iniquitatem cause agnoscere, Et invadendæ Galliæ animum deponere, nisi, neglecto cæli munere, ad ejusdem fines, ad quos jam ferme afflictæ fuerat, navim suam referri voluisse. Nihil igitur communne Poloniæ cum istis Principis jactationibus, ut ipsi Vos, ante bac, sèpius professi, meas de iis expostulationes, commoda declinatione, tum elusisti,

quod hæc ille, non authore Rege, non Republicæ
Vestra, privatus aggredetur. Si licuit Prin-
cipi se jungere sc̄ à Polonia, liceat Gallis cum uti-
que pro Polono non habere. Et vos si bellantis atq;
inimici causam præstare nolueritis, capti cur susci-
peretis. Et item Vestram faceretis? Id nec Vestra
velle prudentia, nec equitas pati, nec observan-
tia quoq; erga Vos nostra mereri potest. Unde fa-
cile intellekeris, quam alieni à contemptu, sive
irarum sive Virium Vestrarum, simus: Neq; enim
in Vos peccavimus quicquam, neq; impune pecca-
ri posse crediderimus, quorum dationes etiam te-
merè non semel irrupistis. Quod ut magnificè præ-
dicas, sic re facto Princeps ipse Vester satis com-
probavit, qui hostes in Galliam ex ultimis Mundi
partibus nuper adduxerat. Nos quanti facia-
mus Poloniam, quanti conjunctionem vestram,
nil attinet dicere, Et ipse agnoscis, qui nostris sem-
per Regibus, vel per me, unicè ambitam comme-
moras. Quid ni vero fortissimam Gentem bel-
licosi, liberrimam liberi, ac non absimilis genij po-
pulos colamus, Et si hanc querelam demas, justissimos?
Quin Regnum, titulis olim nostris adjun-
ctum, minus aestimare, sine injuria propria non pos-
semus; ut nec Republicæ Christianæ propugna-
culum nos Christianissimi non forvere. Vides, Il-
lustris-

lustriſſime Præſul, quantum me litteræ affece-
runt tuæ, quam expeditè ad omnia, quam proli-
xè, homo in ſcribendo alioquin parcus, reſpondi;
E id quoq; quantum ex officio potui, reverenter:
Erit hoc iſum tibi argumento amoris E fiducia
non vulgaris. Ego me totum effundo in ſinum
veri Amici, nullæ hic latebræ, nulli recessus. Et,
ſi quid tua, atq; iſius Principis cauſa, valeam,
eadem fide E libertate præſtabo. Quod ut tibi
omnino perſuasum velis; ac perturbationibus re-
rum, ſeu varietati temporum, E Aularum li-
dibriis, neceſſitudinem noſtram, certo judicio ſe-
mel conſtitutam, ne permittas, à te etiam atque
etiam peto. Hamburgi 9 Martij, Anno Do-
mini 1639.

Celſitudini Tue

Addictiſſimus Servitor, E ad obſe-
quia paratiſſimus,

CLAUDIUS DE MESMES.

Ex hiſce literis, meo quidem juſticio,
Claudium hunc de Mesmes, non tantum ma-
gnæ prudentiæ, multæ lectionis & doctrinæ,
ſed in iis etiam, in quibus ſanctiora negotia
Regis Regniq; alium eſſe, ex officio, non ve-
tant, generoſe candidum & ſyncerum; & di-

Archiepiſco-
pi ad hanc
litteras re-
ſponſum.

gnum

gnum, herculè, cuius, sua cum elegantia, flui-
entes literæ, fusiores licet, & Austriacis, ipsi q;
Principi, non nihil iniquiores, tamen integræ
insererentur. Oportet enim, si uspiam, cer-
tè in historia, suam cuiq; libertatem esse; nec
unius tantum, sed alius etiam sensa mentis,
trutinanda Mundo judici offerre. Qua ea-
dem facultate Archiepiscopus apud me nunc
rursus utitur, & Memmio, paulo laxius facun-
do, hisce pauculis denuo responderet.

Excellentissime Domine

Merebatur dignitas, & Amicitia nostra, me-
ditatum potius, quam iratum & festina-
tum responsum, ad amicam & innoxiam Episto-
lam meam; gravi, quod dedecret festinatio,
amico, quod arceret iram, argumento scriptam.
Quod tamen tantum abest ut mihi stomachum
moverit, ut te, Vir Illustrissime, non minus suspi-
ciam, & amem etiam inter iras amicum, & in ipso
impetu hanc precipitem; & hinc agnoscam gene-
rosæ Gentis genium ab ira & impetu, eoque igno-
scam hinc Memmio meo, ab illa vi & torrente
eloquij, vel in ipsis sterilioris causæ arenis inex-
hausto. Eam ob rem, causæq; præterea meæ con-
scius, nec succenso punctus aculeis verborum,
nectibi tuum reddo.. Parcius ista; in te æquius;

quam

quam in me vibratum, quando, post Zam-
scium, Polonus omnes, velut unâ cervice hæren-
tes, audacioris styli ictu jugulas. Nec rationum
exemplorumq; congeriem refello, aut in vos rege-
ro, dissimili vel impertinenti sensu laborantium:
Neq; Achillem vestrum video, quod Regem
quondam nostrum, & vestrum, ex fuga retrahere
voluerimus; scilicet in carcerem, non in Re-
giam, reponendum. Quin potius laido cando-
rem, amo affectum, quod & causas detenti Prin-
cipis ingenuè aperias, & liberandi rationem osten-
das; quam amplectimur, & Oratorem mittimus,
qui vos metu & errore liberet. Interim credas
velim illum, depositis armis (quæ dum gessit, uti,
jure belli, contra eam licuit) nihil amplius hosti-
litatis, contra Galliam, tentasse; & in altissima
etiam pace, eo iturum fuisse. Ut hinc arguere
possitis innoxium ivisse; & exercitus ab eo arma-
tos, portubus & propugnaculis vestris insidia-
tum, consilia & arma cum Gallie hostibus sœcia-
ta, & nescio quas præfecturas Hispanicæ, in per-
niciem Gallorum, ambitas, partum ejusdem præ-
cipitis consilij esse, cuius & hæc ipsa detentio fuit;
hæc q; omnia, capto denum Principe, nata esse:
nobis quidem, antequam tu narrares, prorsus in-
audita, & ipsi Principi forsitan nec cogitata. Hoc

unicum ex litteris tuis, tui causa, maximè mihi doluit, quod, et si te suaorem intercipiendi Principis fuisse diffiteare, ajendo tamen jure; interceptum, ostendis te suaorem futurum fuisse, si ante factum consultus essem. Nihilominus ego, incluenda hac suspicione & invidia publica, obsecundabo officio meo, & existimationi tuae: colamque te & amabo etiam dissidentem a me, & propiorem irae, ut ipse de te fateris. Quæ redintegratio erit amoris, reddito Nobis Principe, quin & gloriae tuae; quam, post presentem invidiam, augebis, cum te non tam auctorem, vel, quod perinde est, approbatorem detentionis, quam adiutorem liberationis, nobis adstrues. Hoc ego te, vir clarissime, hortor, hoc etiam atq; etiam, pro jure amicitiae, oro. Data ex arce Loviciense.
Anno Domini 1639. 24 Aprilis.

Excellentiae Vestrae

Addictissimus,

JOHANNES à LIPIE LIPSKI,
Archiepiscopus Gnesnensis.

^{Authoris}
gloria Germanica ze-
lusa.

Horum tantorum virorum elegantibus
& ingeniosis dissensionibus immisceri, licet
& mediocritatis meæ, moderniq; instituti
mei,

mei, haud videatur, in præsentiarum tamen,
asserendæ Germanicæ Gentis gloriæ zelus,
etiam à scopo & Historico nonnihil diver-
tentem, excusabit. Fateor enim me illa Co-
mitis D' Avaucii, *pace tua, inter Christianos*
nullus, qui vel in omnes nostrates, vel in paucos
culpam transferat, quæ unius est Casimiri: ut
palam ac publicè Germania, nisi quæ liberta-
tem amisit, Dania, Anglia, &c. sentiunt,
summopere mirari: nec minus etiam, nihil
adista, ab Archiepiscopo, scrupuloso alias,
responderi. nisi fortè hic profundè considera-
tionis Princeps, nil loquendo loqui poti⁹ vo-
luerit, & huic velut manifesto anharmonico,
nil respondendo efficacius respondere. quod,
de tunc dignationis viro, primum est opina-
ri; ut qui optimè nosset, ubi projectius, imo
projectissime serviretur. Rogo autem, Il-
lustrissime Memmi, Germania qua in parte
tibi potissimum libertatem amiserit? ubi ni-
mirum sua culpa captum Principem cum
Gallia non sentit. Atqui ea Cæsariana ea-
demq; Catholica est; sed an ideo servituti
mancipata? An quia hæreticis, eorumque
causam promoventibus, ne externis & ambi-
tiosis Regibus verè serviamus, non consenti-

mus, & Ecclesiastica bona, pravorum Christianorum, ne dicam Christianissimorum, auxilio perperam Ecclesiae subducta, cum Imperatore, adhuc suo, laus Deo, capite, repetit, tibi, Domine, libertatem perdidit? Cave vir amplissime. Sic enim libertatem amittendo, Vobis Francis, vestri Reges, Christianissimi titulum procurarunt. Nisi forte, qui hoc modo speciosa nomina hæreditastis, nunc, mira ratione status, & priscis sæculis ignota, faciendum aliter judicatis; & hinc, quasi devotionis priscæ pæniteret, non tantum Ecclesiae ipsi conferre quicquam jam non vultis, sed, ablata etiam recuperare volentes, ambabus quasi manibus, &, totius corporis objecta mole, prohibetis. Longè aliter Nos Germani Christianè liberi, & antiqui moris, mi Domine, sentim⁹, qui, rebellione, falso libertatis nomine larvata procul, Deo suum, suum Cæsari tribuentes, eatenus servire veram libertatem credimus. Ignosce, Illustrissime vir, ignosce lector, me hoc paragrapho, ceu per parenthesesin, non Historicum, sed hyperaspisten, more Memmii, quid sentiam, candide locutum esse; &, in ea re, ad modicum divertisse, in qua, negligentem es-

se,

se, zelus, ut dixi, patriæ non indulxit. Nunc
in viam regiam & historiam revertor.

Dum hæ literæ, apum more, melle & Regis Polon.
spiculis armatæ, à Claudio de Mesmes ad resolutio, &
Lipscium Archiepiscopum Gnesnensem, & litteræ Re-
ab Archiepiscopo Gnesnensi ad Claudium
de Mesmes, ultro citroq; ratione Principis,
perferuntur & traduntur, interim Virgilius
Puccitellius, ab ipso Principe, è Segestorio-
rum oppido, Genuam reversus, prout ipsius
sum erat, inde statim Vladislauum Regem,
cum procul Vilnæ in Lithuania degentem,
rerum omnium, & potissimum, aliis omni-
bus, ut frustraneis, neglectis, mittendæ & ac-
celerandæ, ob indignum carcerem (cujus pu-
dendas circumstantias prescribebat) legatio-
nis, nomine Principis, certiorem fecit. Qui-
bus, Rex intellectis tandem, cum præsentib;
tam Regni, quam Magni Ducatus Lithuaniae,
Senatoribus, in consilium ivit: Iisq; ad mitio-
ra, & pacandum potius Christianum Orbem,
quam cumulanda bella, inclinatis nec tan-
tillum, boni publici, & quantocius liberandi
Principis gratia, dissuadentibus, mittendam
legationem Rex decrovit. Quod deinde
etiam Regi Christianissimo insinuando, si-

mul ut in locum alium decentiorem, aulæque
suæ viciniorum, Frater Princeps deduceretur,
hisce litteris requisivit.

Serenissimo Principi Domino Lu-
dovico XIII, Dei gratia, Christianissimo
Galliarum & Navarræ Regi, Cognato & Affini No-
stro charissimo, VLADISLAUS IV. Dei gra-
tia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuanie, Russie,
Prussiae, Masoviæ, Samogithiae, Livoniæ, Smolen-
scie, Czernichovjæque; Nec non Suecorum, Gothorum,
Vandalorumque hæreditarius Rex, salutem & mu-
tui amoris continuum incrementum.

Serenissime Princeps, Domine Cognate &
Affinis Noster Charissime.

REdijt tandem Nuntius Noster, Anno præte-
rito ad Majestatem Vestram ablegatus, Ego
responsum attulit in parte dignitati & amicitiae
mutuae congruum, in parte inexpeditatum. Quod
Majestas Vesta hunc tam acerbum Fratris No-
stri, sui vero cognati & Affinis, casum dolore se
prosequi testatur: quod se inscio Principem ca-
ptum asserat; quod denique amicitiam mutuam,
inter Nos & Regna Nostra, ne hoc facto minua-
tur, sollicitè postulet, id totum dignitati commu-
nis fortuna Regiae, & tam exactè à Nobis cultæ
amicitiae tribui omnino conveniebat. Quod ve-
ro, postquam Majestas Vesta rescivit Fratrem
No-

Nostrum, non in ulla urbium Gallicarū deprehensum, sed mari libero navigantem, & portum Majestatis Vestrae è longinquo salutantem, oblatis fidi hospitijs officiis, è triremi in terram evocatum, inde in custodiam abreptum; eum tamen non solum libertati, Natalibus Regiis convenienti, non restituerit, sed squalore & mærore, in tam inexpectata fortunæ ludibrio, consumi permiserit, aditu prohibuerit, excusationi (quæ vel subditis conceditur) locum negaverit, id præter omnem expectationem nostram accidit. Arctissima necessitudo, Amicitia sacrosanctè observata, & (quod potissimum) communis Regiae fortune Nataliumq; præcellentia, longè aliter nos sperare jusserrat; ita ut, non de longiori Fratris Nostri detentio, sed de convenienti læsi honoris ejus, Nostrique, vindicta, à Majestate Vestra præstanda, solliciti essemus. Videat, quicunque hujus consiliij author, quam pulchrè honori & existimationi Majestatis Vestre consuluerit. Illa enim quæ obiciuntur, Fratrem Nostrum, in Hispaniam, hostilem animum erga Gallias tulisse, Regno, nescimus cui, præficiendum; sine scitu & litteris Majestatis Vestrae, in terram, è triremi descendisse; littora, portus, & urbes, lustrasse; talia sunt quæ vulgus spargero, tanti Regis Horoicus animus

con-

contemnere poterat; & quæ non custodiam & carcerem (vix in acie captis offerendum) sed ulterioris itineris denegatam libertatem penè non merebantur. Hoc vero laudatissimus Majestatis Vestræ Parens satis habuit Archiducem Maximilianum, consimilis cum Domo Austriaca discordiæ tempore, in Hispaniam properantem, & per medias Galliarum Provincias, iter tacito nomine facientem, stitisse, & in Austriam omni benevolentia cultu remisisse. Minus peccavit Frater Noster, cum maris procellas fastidiens, cognati littoris petij solatum, invenit tempestatem. Speculatoris vero indignum nomen, quod Regijs adscribatur Natalibus; aut de illo præsumatur, qui, vili obsequio cognatos demereri, nullā habuit necessitatem. Sed adeo in animo Nostro, altas radices egit, erga Majestatem Vestrā, fraternus amor, ut illi vel hanc Domus Nostre Regiae injuriam non gravatè donemus; Publicæ vero Christiani populi paci & tranquillitati vindictam (quæ sèpè prudentissimos Principes inexperata tentare cogit) libenter remittamus. Cumque Majestas Vestrā, liberandi Principis, hunc modum proponat, cautionis præstandæ gratia, Legatum nostrum, ad Majestatem Vestrā, mittimus, plena potestate, desiderio Majestatis Vestræ satis-

satisfaciendi instructum. Hic propediem iter aggredietur, & eo quam poterit celerrime confecto, Nos non eliberandi solum Fratris Nostri charissimi rationem habuisse, sed & auctæ Domus Regiae, desiderata Majestatis Vestræ sobole, lætitiam Nobis communem fuisse, luculenter testabitur. Interim vero ut Serenissimum Principem Casimirum, ex illa tam indigna custodia evocare, & verbo fidej^q Principis obstricto, cognato & Affini convenientius hospitium, ac Aula suæ vicinum magis, concedere velit, per communem Regum fortunam, & jura amicitiae Nostre, Majestatem Vestrā obtestamur; eamq^z Divinæ protectioni amanter commendamus. Vilnae, die XXVII. Aprilis, Anno Domini M. DC. XXXVIII, Regnum Nostrorum, Poloniæ VII, Sveciæ vero VIII Anno.

Eiusdem Majestatis Vestræ

Cognatus & Affinis

VLADISLAUS REX.

Utautem tam Cardinali Richelio, quam ipsi Regi, innocentiam Principis persuaderet, & in primos detentores culpam omnem rejiciendo, ejus temeritatem, ob distantiam loci, quoquo modo humanitate Regia excusat;

Iudicem littera ad Cardinalem Richelium.

saret; eoque cito in locum magis honorificum, è squalido carcere, Frater Princeps transferretur, prudentiæ ejus Regiæ visum fuit, hisce quoque eum litteris dignari.

Vladislauſ IV. Dei Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prusiaæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensiæ, Czernichoviæque; Nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, Illustrissimo & Reverendissimo in Christo Patri, Domino Armando Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Richelieu, Amico Nostro charissimo & honorando, salutem & omnis felicitatis continuum incrementum.

Illustrissime & Reverendissime in Christo
Pater, Amice Noster Charissime &
honorande.

CAUSAS detenti Serenissimi Fratris Nostri, quas Illustritas Vestra repetit, uti vulgo authore sparsas, vulgus ante diu publicavit. Nos hanc unicam arbitramur, quod præfecti illius oræ, ob tantam locorum distantiam, super retam gravi, consilium ab Illustritate Vestra petere nequierint; quorum nunc temeritatem sua prudentia excusare satagit. Accipimus benevolè hanc, à mente Regis sui existimationi fida, excusationem: quam utinam auxisset diversa, à praesenti,

senti, excipiendi tractandig^z Principis, rerum
ratio; severis & inhumanis custodibus commissa.
Nos porro, quibus gloriæ fuit sceptra & jura Re-
gnorum, ob publicam populorum tranquillitatem,
partim hostibus largiri, partim suspendere; non
gravatim eidem hoc superatæ injuriæ tribuimus
trophæum, & caduceatoris loco, legatum mitti-
mus; qui ab Illustritate Vestra propositam cautio-
nem præstet. Antequam vero is adveneatur, erit
celebratae Illustritatis Vestrae prudentiae, Regi
Christianissimo suasorem extitisse, permutandæ
Cognati Principis custodiæ, convenienti ejus na-
talibus hospitio, in quo eum tantisper melius cu-
stodiet verbum & fides Principis. Datur hoc
manipularibus, quid ni Regio juveni? quem bene
tractari pertinet ad ipsiusmet Regis Christianis-
simi dignitatem; cui interea prosperam valetudi-
nem à Domino precamur. Vilnae, die XXVII
Aprilis, Anno Domini M. DC. XXXVIII. Re-
gnorum Nostrorum, Poloniæ VII, Sueciæ vero
VIII Anno.

Hisce litteris in Galliam directis, Vla-
dislaus Rex, cum jam mittere Legatum
decrevisset, quem potissimum mitteret ali-
quantulum deliberavit, tandem vero Chri-
stophorum Corvinum Gasciewski, Palatini-

Gonzevius
Legatus Re-
gius destina-
tur.

dem, sed mox, ut paulo post videbimus, de-
cedente Patre Alexandro, Palatinum Smo-
lensensem, linguae Gallicæ & nationis gna-
rum, huic muneri designavit. Sed, quo-
niam tardè, & non nisi vergente anno, ex Sar-
matia discessit, properantes interim, quas
inserui, Regis litteras, in Galliam sequa-
mūr.

*Princeps ito-
rum fuga in-
simulatur,
& se litteris
excusat.*

Et hæ quidem, procul, ex Lithuania, Vil-
nā missæ, scriptæ Aprili, Majo mense, Chri-
stianissimi, & Cardinalis Ducis, manib[us] sunt
consignatæ. Quarum copiam Butlerus, su-
premus Principis Cubicularius, cum nactus
esset, nec tamen Princeps, quod petebatur,
& ipse hucusque (ad Principis sui litteras re-
sponsum tot jam mensibus anhelans,) cum
Bolognetio, Angelo Corrado, Johanne Ba-
ptista Saluzio, Apostolico, Venetæ, & Ge-
nuensis Reipubl:, Legatis, frusta sollicitave-
rat, in locum alium, è fædo carcere, dedu-
ceretur, earundem copiam, per fidos homi-
nes, Cisteronum Principi transmisit. Et
hoc quidem recte eo tempore, quo Princeps
rursus fugæ insimulabatur. Cum enim in
horrido illo Cisteronensi suo scopulo, in con-
tinuo squalore, non tantum rigide & sordi-

de

de haberetur, sed etiam, ipso loci situ calamitates cumulante, ab uno latere, & à montibus Sabaudiæ & Delphinatus, aura ventisq; frigidis; ab alio, & Provinciæ Comitatu, nihil fere climate à Regno Neapolitano differente, æstu molestissimo subinde vexaretur; & in uno loco, hic continua quasi hyeme, ibi ceu perpetua æstate, in ægritudines & morbos alteraretur, quidvis etiam, pro incolumitate, & liberatione sui Principis, ejus Aulici non negligendum existimabant. Cum itaq;, Monetae Divæ gratiis allecti, pro uno jam Sylvani plures invenirentur, eorum unus Andreæ Basio Secretario principis (quem supra Parisiis à Principe revocatum diximus, & Avignon, certis de causis, nunc morabatur) se obtulit, & ducentorum millium nummorum præmio, certo certius se liberaturum Principem promisit. Quod cum Principi Secretarius, in usitata quadam literarum forma, aperiret, ceu inconveniens quoddam risit, Chantarenæ retulit, literas prælegit, tandemq; tradidit. An vero jam bis idem scripserit Secretarius, & unas, ejusdem sensus, literas, per certos homines, Cardinalis intercepit; an has easdem Chantarena Cardina-

Si misericordia, ut rem mihi incomptam, non auctoritatem affirmare. Certum autem est, ad manus Richelij, quomodo conquisitus, pervenisse, & per hac de causa, Principi gravius succensus esse. Quod ex hisce literis, quibus eum, per Episcopum Macloviensem, (vulgo Gallicé de S. Malo) ipsi familiarissimum, sibi quis, ut per Butlerum didicerat, non adeo infensum, mitigare studuit, & simul in locum alium, (quod postulasse Regem Fratrem, è literarum copia, à Butlero, ut dixi, clanculo transmissa, didicerat) deduci petiit.

Illusterrime Reverendissime Domine.

Secundo jam traducor & accusor occultæ evasionis, ex eo quod inventi Avenioni, qui, vel spes lucri, vel aliorum suasu, mihi operam suam ad hoc presentarunt. Quamvis merito, in hac tam indigna & iniqua tractatione, aliquid tentare potuisse, quod nemo prudens temeritati adscripsisset, attamen innocentiae fidens, & Deo vindici causam meam committens, nunquam assensum propositis mediis praebui. Literas Secretarij mei Itali, in hac materia scriptas (quaæ exacerbarunt Eminentissimum Cardinalem contra me) has ego ipse legi coram prefecto custodiæ mee, & in manus ipsius tradidi; cum nihil aliud contingerent,

nerent, quam quod significanterent, novum hominem repertum, qui, ducentorum millium pretio, me ex hoc carcere se educturum, promitteret: Cujus ego risi insaniam, & Secretarij mei inconsiderationem, quod hoc, veluti arcanum quoddam, insolito modo, mihi prescriberet. Salona simile quidjam acciderat, & cum praefecto custodie, cupienti scire quisnam esset qui hoc facinus auderet, ingenuè fassus fuisse nomen & personam (putans hac confessione nonnihil mitigandum ab illo rigorem carceris & afflictionis meæ) hoc ecce merui, ut majori in me rabie sæviret, & prodi-
to reo neglecto, in me furiam transferret, Salonaq; abreptum, ex Archiepiscopali Palatio Cisternum transferret, in latronum & parricidarum car-
cerem. Eset laudatissimæ prudentiæ Eminen-
tissimi Cardinalis, aliquem huc destinare, qui me
meosq; audiret, & hæc supplicia mea, que inde-
nius, & indicta causa, sub Justo Ludovico Gallia-
rum Rege, patior, prudenter consideraret, ac re-
ferret: non dubito quin præoccupati malè de me
animi mutandi forent. Defui nunquam id
sollicitando, litteris & nuntiis, tam apud Domi-
num Gubernatorem hujus Provinciæ, quam apud
ipsam Curiam Christianissim: Sed ubiq;, vel sur-
dos judices cause, vel contemptores Personæ meæ,
repe-

reperi. Et, quod ne à barbaris quidem mihi futurum putassim, nullæ meæ quasi supplices litteræ receptæ, nulli Nuntij auditæ, in Curia tam Justi Regis. Hinc ferè inductus sum ut crederem, quod mihi à diversis perscribitur, nihil nisi interitum meum querere Eminentissimum Cardinalem, aut ita inglorium me reddere, ut indignus sim qui vivam. Rogo obnoxè Illustrissimam Dominationem Vestrā, velit, pro Christiana pietate, peregrinum me ḡorphanum Principem, meliori affectui ḡratiae ipsius commendare; ḡapud eundem efficere, ut, quod à Rege Polonia, Fratre meo, ab eodem petitur, obtineam: nimirum hospitium natalibus meis convenientius, donec Legati venturi negotium suum finierint.

Maneo

Illustrissimæ ac Reverendissimæ

Dominationi Vestræ

Cisteroni 12.
Junij 1639.

Obligatissimus ḡaffectionatus.

JOHANNES CASIMIRUS
Polon. & Svec. Princeps.

Butleriu ut
in Poloniam
expeditu.

Fecit candidè, quod petebatur, Episcopus Macloviensis, &, licet post aliquot septimanas, tandem tamen Butlero, supremo, ut dixi, Principis Cubiliario, Majestatem suam Regem

GARCIER GALLICUS.

Regem Christianissimum, Vladislai Regis, ipsiusque Principis, requisito & desiderio facturum satis, respondit: Et nunc quidem Principem in locum alium mox ducendum, aulamque proprius accessurum. Legato autem veniente, & cautione debita interposita, quamprimum libertati restituendum. Proinde se suadere in Poloniā festinaret, & dicesum Legati quomodo promovendo, cum eodem iter in Galliam maturaret. Hac quippe ratione solatio sui Principis celerius consulturum. Butlerus, cum per litteras Felyrio Doctori Medico, ad Principem redeunti, traditas, de hisce eum certiore reddidisset, & plura oretenus, eidem Principi referenda, communicasset, haud cunctatus, cum Bussonetio & Elertio, qui etiam secum venerant, Lutetia discedens, in Poloniā properavit, & officio suo deinde, ut dicemus, in tempore satisfecit. Interim nos Johannem Casimirum Principem, post sex mensium squalorem, ex fædo & inviso illo Cisteronensi ergastulo, ab illo horrido & prærupto scopulo, per illius scalæ ligneæ acclivos gradus, in mon-

C C e u i t i s

tis dorsum; & exinde, ceu è cælo, inferorum
qualitatibus abominando, in terrarum or-
bem, in planum, in Galliam, & sic capti-
vum tamen, jam à tertio, in Sylvam S. Vin-
centij (yulgo Boisdevincennes, seu Boscum
Vincennarum) in quartum carcerem, non
ita quidem sordidum, at non minus rigidum,
deducamus.

*Princeps Vincennum, in quartū Carcerem per multas pompa, deduci-
tus,*

Augustus Mensis ad finem præceps jam fluebat, cum hoc clementiæ à Rege Christianissimo & aula Gallica, ad aures Principis evangelizans fama tulit. Et quamvis jam ante, promissum idem, è Butleri litteris perceperisset, non prius tamen (ut qui crebris falsis, nihil, aut minus credere, jam confuesset) fidem habuit, quam fatalem scopulum & invisum, à tergo reliquisset. Tum vero, ceu humano generi, & quoquo modo sibi redditus, sursum levatis oculis, pia voce, mixto gemitu, gratitudinem cælum versus jaculatus, rhedam, ad radices montis pro se advenitam, lætior ascendit. Et tum quidem, ceu fato quodam, humaniora omnia, toto in itinere, expertus est. Nam Gratianopoli, Delphinatus Metropoli, appropinquans, ab illius Ducatus Gubernatore Duce de Ladigiro,

ro, filio Marescalli Criquii, Ladigiri Magni Conestabilis, ut vocant, Franciæ nepote magnificè exceptus, & toto ferè biduo, Regiè tractatus est. Quo elapso, per urbes celeberrimas, Valentiam & Viennam Allobrogum, Lugdunum versus, progressus est. Cujus omnigenæ, opulentæ, & superbæ urbis publicis ædificiis, licet duarum adhuc leucarum circiter intervallo, jam, in modum nubium, se oculis insinuantibus, tam ipsius urbis, quam Provinciæ Lugdunensis, Gouvernator, Alincourtius, vir ætate, prudentia, & rerum experientia venerandus, Principi occurrens, eundem humanissime, & salutavit, & ad ingressum urbis, invitavit. Propius deinde, & ponti urbis (qui Rhodano & Arari, celeberrimis fluviis, superimpositus est) accedens, Magistratus Lugdunensis obviam progressus, dissimulatis, quæ Princeps passus erat, calamitatum malis, pariter urbem suam ingredi, hisce ferè, persuadebat. Ingredere, Serenissime Princeps, fausto pede urbem nostram, Christianissimi Regis, ut Cognati & Affinis tui charissimi, amore & benevolentiam experieris. Nos vero obsequiorum nostrorum promptitudinem, ut Regiæ stirpis Principi, Sigismundi III.

Et Vladislai IV maximorum Regum, magno Filio, magno Fratri, ultrò libentesq; deferimus. Quam ubi, tanto Principi, urbs nostra, ut place-re voluit, placere senserit, inter felicia sua non ultimum numerabit. Quibus, & hisce simili-bus, Comes Konopatscius, et si longa & molesta equitatione fessus, tum præ æstu & pul-veribus, diebus canicularibus, languidior, nomine Principis, hisce brevibus, prout ra-tio temporis, Sole ad occasum jani vergente, permittebat, respondit. Optasset equidem Serenissimus Princeps, Dominus meus clemen-tissimus, alia ratione florentissimum Galliae Re-gnum pertransisse. Verum, cum in primo acces-su, sors iniquior eum exceperit, cedendum est fa-tis, Et, pro nunc, Christianissimi Regis jussis ob-secundandum prout fit, dum ad locum destina-tum pergimus. Vota Et desideria vestra, que suæ Serenissimæ Celsitudini defertis, grato equi-dem, æquanimus Princeps tam in adversis quam prospesis, à vobis animo accipit; suæ quoque bene-volentiæ significationem, latiori secesso occasione offerente, vobis testaturus. Hoc responso da-to & accepto, Princeps ab Alincourtio, ipso-que Magistratu, militia Helytica, more gentis, vultu feroci, lento largoque passu, in-

ter-

ter occursum populi, comitante, ad ædes magnificas, in quibus & ipse Gubernator Alincourtius morabatur, Benedictinorum Lugdunensium, deductus est. Ibique propè triduum honorifice moratus, per alias Provincias & Ducatus Galliæ, ut Borboniæ, Montargiri, & Charantonii, diversos tandem post pomparum ordines, & ceu parenthesin aliquam (prout etiam humana vita nonnullas habet) tot miseriis lenius interjectam, ad infastum rursus locum, Sylvam S. Vincentii, decimaquinta Septembribus pervenit.

Est autem Silva S. Vincentij, seu Boscum Vincennarum, in Insula Franciæ, unius Leucæ spatio à Lutetia Parisiorum distante, Divi Ludovici olim Galliarum Regis, non quidem innocentium Christianorum Principum carceri, sed secessui, & honestæ recreationi, destinatum opus. Arx enim, & turris altissima, vocabulo Gallico, *Donjon*, nominata, loco amœnissimo, crebris arboribus (unde & Sylvæ nomen invenit) & Viridario Luxurianti, è sectili vivoque lapide exstructa est. Paulatim vero, cum, succedentium Regum placito, in tristem, & reorum quidem læsæ Majestatis, carcerem mu-

*Descriptio
Vincenna.*

tari, etiam, ut sit, lucri gratia, frequentari
cæpit, &, successu temporis, in oppidum
excrevit.

*Mortifica-
tiones Prin-
cipis ibidem.*

Hoc ergo Princeps cum intrasset, &, si-
bi quoque nunc in carcerem destinatae, arcis
aream ingressus esset, mox, sub nomine
& persona alia, priori similem Chantarenam
denuō inveniebat. Cum enim Beloardo (sic
enim hic, qui jam quidem Principis, quon-
dam vero criminis Læsæ Majestatis convicto-
rium Custodiæ præfectus fuerat, vocabatur)
diem & horam Adventus sui Princeps itima-
ri, per veredarium, fecisset; ille, statuto
tempore, Parisios concedens, studio se sub-
traxit; sic ut Princeps, clausas arcis & carce-
ris sui portas inveniens, hora prope integra,
populo in spectaculum & ludibrium, perse-
verare sub dio cogeretur; tandemque à vili
milite, ab eodem missio, fatali turri (quæ
novis calamitatibus ejus destinata erat) in-
cluderetur. Et tum quidem, primum au-
spicium indignationis, ab oculorum sensu cæ-
pit, cum sarcinæ ejus omnes, in publicam ar-
cis aream advectæ, ibidem publicè, insolent-
ti populo in risum & cachinnos, projici à ve-
ctoribus juberentur. Quod ut Princeps ægrè
quidem,

quidem, tamen ferre debuit; & Adventum Beloardi Lutetia præstolari; qui tandem, sero veniens, & truci vultu, &, severioris animi sui indice, supercilie, Principem accedens, nulla absentia suæ excusatione præmissa, ex mandato Regis Christianissimi, se custodiæ ejus præfectum destinatum, inquit, insuper, ne quemquam alium obsequio ejus, quam Cubicularium unum, Promum Condum, coquum, &, ad viliora servitia, famulum unum relinquere, à Majestate sua sibi in commissis. Princeps, hunc inexperatum rigorem, summioperè se mirari, respondit, nec ex eo aliter, quam, Regem Christianissimum, interitum & mortem suam velle, argumentari posse. Deinde protervum hominem, si hæc voluntas Regis esset, ut, ad Christianè saltem moriendum, suum sibi Confessarium, &, si nondum in fata & valetudinem suam conspiratum esset, Medicum corporalem, cum Chirurgo, permittere, obtestari cœpit. Malle enim se Cæteris Servitoribus suis à se indultis, quam animæ & corporis sui valetudinem curantibus, carere. Licet vix, per Christianam pietatem tamen, ad extremum, austerus homo, idq;
cum

cum encomio civilitatis & humanitatis suæ,
ut Confessarium, Medicum, & Chirurgum,
Principi concederet, inductus est,

Comes Konopatscium ab eo segregatur; hujus frustranei conatus, è Gallia discessus, mors.

Sic ergo Principe desolato, Johannem Carolum Comitem Konopatscium, discendi, ut vidimus, ex Polonia Principi, ut Legatum Regium adjunctum, & eidem, infædo illo Cisteronensi carcere, adhuc solatio relictum, Parisios, cum reliquis, & utriusq; non minimo dolore, abire jussit: Cui deinde Rex, in Poloniam redeundi potestate facta, nec ultro tamen abeunti, nec Principem deferere, vel, ante hujus Tragicomædiæ finem, discedere volenti, severioribus quibusdam mandatis, vulgo bannis, excedere tota Gallia imperavit. Sed, quorundam amicorum ope consilioque nixus, violentæ illius expulsionis relaxatione impetrata, non tantum usque liberatum Principem, sed integro etiam ferè anno, post discessum ejus, Lutetiæ permansit. Interea vero temporis, solutionem illius sui debiti (cujus initio ferè libri mentionem fecimus) suorumque trecentorum millium imperialium thalerorum, à Christianissimo postulare cœpit. Adeoque ipsi Richelio Cardinali, primo Regis Consilio,

rio, tantumque non Regenti, memorialia quædam, hoc in negotio, porrexit; per idoneos homines merita antecessorum suorum, Crockoviorum, Konopatsciorum, Kostkorumque, erga Domum Regiam, commemo- ravit; Præteritarum quoq; calamitatum (qua- rum, cum suo Principe, pars magna fuerat) Christianis, ne dicam Christianissimis, minus dignos effectus retulit. Sed, cum anno ferè integro, ut dixi, post Principem, Parisiis transacto, bellicis expeditionibus continuis, totam prope Galliam indies exhauriri cerne- ret, & hinc responsa Aulæ, data opera, in lon- gum protrahi videret; aditus & accessus, ad Ministros Status, difficiliores perspiceret; su- percilium grave, in hominibus secunda for- tuna nimium elatis, & in humanis rebus cæ- cutientibus, nausearet; quin etiam totius Aulæ illius molestam frequentationem, spi- ritus & generositatis regiæ vir, porro indi- gnaretur, præmonitis quibusdam quorum intererat, ne præscriptio quadraginta anno- rum (cum eadem pecuniæ summa, jam ter quaterve, & à Rege Henrico IV, & à Regina vidua, & à Ludovico XIII, nunc postulata- esset) obtrudi posset, relictis quibusdam hu-

jus rei notis & fundamentis, mālē contentus, ut dicimus, tandem Galliæ valedixit. Quem deinde, in Sarmatiam reversum, & centenis aliquot florenorum millibus, jugi obsequiorum ordine, exhaustum, Divinæ conformis Regia Majestas, in Episcopatus & Principatus Varmiensis sublime decus erexit & collocavit. Quā tamen tanta dignitare (ut sunt hic summa etiam fragilia) illi viro nec frui licuit, ut qui, ne possessione quidem adita, subito devixit.

*Beloardis
Presumptio-
nes in Prin-
cipem.*

Beloardus interim (ut ad Principem revertamur) eo prudentissimo viro, cum reliquis familiaribus, jam remoto, ut infrunitus, effrænata licentia, irreverentius vagari, nec tantum inverecundam suiq; simillimam plementem, à sarcinis Principis non abigere, sed etiam, cum insolenti milite, propriis suis manibus, applaudente illo vulgo, aperire & scrutari cœpit. Quam tantam indignitatem, ingenti suo cum dolore, Princeps cum vide-ret, vix tamen, à perfictæ frontis viro, ut citas, in quibus aurea & argentea suppellex, tum & pretiosæ vestes erant, inferri cuidam Cameræ curaret; nec in propatulo, coram furaci milite, sed privatim ad libitum lustraret.

ret, impetravit. Peractis autem iustificationibus sarcinarum, ad Principem reversus, ut gladium, cum suis, traderet, præcepit. Sed Princeps non secus nunc Beloardo; ac anteal in simili præsumptione, Chantarenæ, indignatus, viliorem eum, quam ut, alio quoque modo, mucronem ei suum ostenderet, respondit; ac proinde sciret, non, nisi Regi Christianissimo, in persona propria, petenti, se traditurum. Beloardus sic repulsus, Felveri Medici, Chirurgi, & ephebi, gladios cum extulisset, quatuor truces satellites induxit, eosq;, ex mandato Regis sui, noctes diesq;, dormienti seu vigilanti, Princi adesse oportere, dixit. Gravissima hæc custodia, Salonæ etiā à Chantarena (de quo jam Princeps, ad præsentiam hujus Beloardi, loqui mitius, judicare, & sentire cœpit) tentata, Princi visa est; adeoque eos tam crassos parietes, illas duplicitibus virgis ferreis munitas fenestras, ipsam turris altitudinem, & istas tot serarum portas, securitati ejus, & suæ custodiæ, sufficere, respondit. Proinde hos sclopetarios armatos, ante portam carceris si excubarent, officio facturos satis. Sed Beloardus, Regis mandatum esse, nec se mutare posse, subintulit, & hanc

assistentiam ad honorem potius, quam ignominiam, à Christianissimo ordinatam. Inter hæc tempus cænæ advenerat, cumque nihil, in culina, Principi, à Gallis, præparatum esset, etiam minima quæque, & tantum non aquam & ignem, pretio comparare statim oportuit, nisi quidem incænatus Princeps cubitum ire voluisse. Absoluta vero hac extemporanea mæstaque cæna, cum triste colloquium, de quarto illo, & æquè rigido, fatali carcere, cum suis hisce pauculis, Princeps inchoaret, subito trux Satelles intrat, & quemque suos lectos petere, & cubitum ire jubet. Quibus nonnihil tergiversantibus, Confessario etiam, Medico, & Chirurgo, rationibus & civilitate, ad modicum, distinere volentibus, ille mox, relictæ Princeps, singulos cubiculis & carceribus singulis, ipsumq; Principem, cum quatuor illis satellitibus, seorsim suo carceri inclusit; &, ne se mutuo adire possent, vestibus ferreis, quos non, nisi hora octava matutina, Clavicularius demum tolleret, separavit. Sed postmodum Felerius Doctor Medicus, cum Chirurgo Principis, homine agili & cuilibet rei propemodum oportuno, modum etiam invenit, quo,

sin-

singulari arte, ferreis vectibus sublatis, vafri-
tieque Gallica delusa, quovis tempore con-
venire possent. Interim nocte illa vilius trans-
acta, cum ratio victus iniretur, quomodo,
per quem, ex urbe, uno millari dissipata, de-
ferretur, placuit Principi, ut suorum quis-
piam, qui Parisiis manebant, id quicquid
erat oneris subiret: Sed Beloardus, id fieri
posse, protinus negavit. Quippe mandato
Majestatis suæ Régis Christianissimi, ne cum
ullo hominum Princeps loqueretur, multo
magis, ne suorum quispiam, vel in arcem, vel
ex arce, dimitteretur, cautum esse. Inde
eundem militem, qui pro Johanne Werdio,
in hac arce pariter captivo, necessaria in dies
singulos comparabat, pro Principe, una ea-
demque opera, idem faceret, assignavit.
Nunquam vero, ut hunc emptorem quis-
quam, è familia Principis, videre posset, vel
ore tenus mandare quippiam, impetrari po-
tuít. Sed quavis vespera, quicquid in crastini-
num adferendum, prout & rerum allatarum
pretium, per ipsum custodiæ præfectum Be-
loardum, in schedula dandum & recipien-
dum erat; cui deinde non credidisse grande
nefas. Cum autem, pro culinæ servitiis, co-

quo in subsidium, fæmina impetrata esset, vix in triduum servari potuit, quin mox, suspecta Beloardo quasi occultè litteras extulisset, in amotæ locum, miles sordidus ex præsidio, huic operi inasfuetus, substitueretur, nec munditiæ tanti Principis satisficeret. Et tantus quidem rigor erat, ut, cum, prima Dominica ab adventu, coquus Principis, è culina, in Ecclesiam vicinam arci pro audiendo Sacro, se contulisset, & Beloardus id compresisset, mox custodem portæ duro carceri manciparet, & ne quisquam porro, è familia Principis, etiam summo festo, templum ingrederetur, severius inhiberet. Earum autem suspicionum erat, ut Confessarius Principis, cum septem circiter ulnarum sumen, firmando lecto, emi impetrasset, coniunis diebus octo, ne forte illo, ex altissimaturri, in subjectam fossam, Princeps se dimittere conaretur, scrupulosius, advigilaret; militibus infirmis etiam edulia Princeps cum misisset, huic dare, illis recipere in posterum prohiberet. Cum vero, 19. Septembris, Nicolaus Przerembſcius, summæ in Polonia nobilitatis adolescens, licentia, ut loqueretur Principi, impetrata, Parisiis venif-

venisset, Beloardus Principem ex conclave suo, per centum viginti quinque gradus, educitu, Przerembscium statuit ad fossam arcis, ut sic per tantam distantiam Princeps cum Przerembscio loqueretur. Quod cum indignum Principi videretur, sine alloquio retrocessit. Decima quinta Octobris Andream Basium Secretarium Principis, cum ephebo uno, tertio supplici libello, à Rege Christianissimo & Richelio Cardinale adire Principem, tandem & manere, impetrantem, indecentius admisum, non fædotantum, sed lemuribus etiam, terrisque spectris, horrendo carceri inclusit. Quinimo ipsi Moulinetio, ordinario illius arcis Subpræfecto, sed mitioris naturæ, & generosioris Spiritus Viro, cum semel & iterum cum Principe contulisset, ne, ex conversatione & humanitate ejus, quicquam solatij quoque Princeps inveniret, visitare in posterum interdixit. Denique (pudet enim tædet que singula referre) cum successu temporis, ter in septimana, post prandium, ad certam horam, hortum ingredi non nihil permittereatur, idque majori porta reserata decentius fieri posset, Beloardus ostiolum valde humile, in eadem porta, quotidiano usui, vilioribus

ribus personis factum, tantum referbat, ut Princeps, inclinato vertice, id quicquid erat solatii, quasi supplicare cogeretur. Quod Princeps cum aliquoties silentio transmisset, tandem, indignitate rei permotus, hoc concessæ recreationis tanti emere supersedit. Donec tandem Beloardus, à Patre Lejero Confessario, Felverio Doctore Medico, & Andrea Basio Secretario Principis (qui hoc qualequale laxamentum, hac ratione, Principi subtrahi indignabantur) persuasus, portam integrum referaret ; adeoque Principem, erecto corpore, ad recreationem, progredi indulgeret. Verbo: talem Beloardus Principi se exhibuit, ut postea, impudenti occursu, gratiam adhuc, jam liberati Principis, supplicantem, ipsi Ephebi Regii, luto in via publica, & Lictoris Vincennensis nomine fædarent.

*Princeps Pa-
latinus in ea-
dem arce
Vincennensi.*

Non sola tamen, eo tempore, Johannis Casimiri Poloniarum, ea in arce, sed & Palatini Principis Roberti, Frederici quondam Electoris filij, patientia exercebatur. Cum enim, Brisaco in potestatem redacto, Bernardo Dux Saxonie, Vinariensis, in Alsacia, ambiguo & suspecto morbo decessisset, & jam & illud, & exercitus viduatus capite,

Fre-

Frederici Filiis, si unus eorum utrique præ-
positus esset, ad restitutionem integrum via
patefacta videretur, Robertus, generosissi-
mæ indolis Princeps, nuper à Cæsare, in præ-
lio Lemgoviensi, captus, & honorifice di-
missus, per Galliam, etiam sub ignoto nomi-
ne, in Alsatiam, ad utrumque properabat.
Et revera, cum ea Provincia, Austriacæ Do-
mui immediate subiecta, jam subjugata esset,
si eā unus è Palatini Filiis, tūm & exercitu
Vinariensi, potitus fuisse, multi non contem-
nendum medium, ad reconciliationem, fore
existimabant. Illi autem, quos penes Galliæ re-
gimen erat, &, pro restitutione eorundem
Principum, in Austriacos bellum gerere profi-
tebanur, Palatini Principis molitionibus
intellectis, mox, larva nonnihil mota, qui-
bus potissimum bellarent, aperuere: Et, in
itinere deprehenso Principi, pro subsidio
& Brisaco, eundem Vincennæ carcerem ob-
tulerunt; non mirante jam adeo, Johanne
Casimiro Principe, innocentia suæ calamita-
tes, cum sic juvari amicam Angliam, & fæ-
deratum Principem, videlicet. Cæterum,
ut ad propositum revertamur, uterque Prin-
ceps Serenissimus, in eadem arce custoditus,

cum utriq; eundem hortum ingredi, concederetur, nunquam tamen, ut Beloardus hoc eodem tempore indulgeret, ne & ex præsentia mutua solatium quilibet inveniret, impetrari potuit; quin imo eo tempore, quo unus recreationi vacabat, alter arctius servabatur, quo eunte, & redeunte, tintinabulo milites, ad arma, citabantur.

Jussa Christiani in familiâ Principis, sed littera mitiga-

Et sic quidem Principes, & præsertim Johannes Casimirus, in suo carcere, interim in eundem quoque Parisiis non feriabatur. Ne enim (cum ore tenus conferre, per Beloardum, jam provisum esset) litterarum beneficio, cum suis clam subinde loqueretur, omnes suos, Parisiis & ē Regno Galliæ, in Poloniam expedire, mandato Regis Christianissimi, jubebatur. Et ita factum procul dubio fuisset, nisi Princeps (cui ita desolari gravissimum videbatur) hisce litteris, ad Cancellarium directis, per eundem, Regem Christianissimum mitigasset.

Illustrissime Domine Cancellarie:

Venit nunc, sub vesperam, ad me præfectus custodiæ meæ, referens mihi nonnulla nova mandata Regis Christianissimi; inter quæ illud prorsus inexpectatum, ut familiam meam, que

Parisi-

Parisiis est, subito in Poloniam ablegem & expediām. Obiixè rogo Illustrissimam Dominatiōnem Vestram, hunc tantum rigorem dignetur aliquantis per suspendere, & Christianissimum Regem, meo nomine, submissè precari, velit sua Majestas, mihi hanc familiam, tam diu concedere, donec Legatus Regis Fratris mei, qui jam in procinctu est, expeditus fuerit. Quod si Rex Christianissimus persistenter in sententia, libenter parebo; quamvis minus intelligam, cur meis Nobilibus Polonis potius, quam aliis, qui etiam Parisis degunt, ibidem commoratio interdicatur. Cæterum benè precor, & maneo.

Illustrissimæ Dominationi Vestræ

Addictissimus.

Dōjōn 10. Octobris,

1639.

JOHANNES CASIMIRUS

Princeps.

Verum enim vero calamitates Principis etiam enarrando fessus, jam fugio Vicenna, & tandem, ad liberandum eum, in Poloniā, non invito pede, transcurro. Ibi Christophorus Corvinus Gasziewski, jam adulto vere, ut supra vidimus, Legatus extraordinarius, à Vladislao Rege, in Galliam, destinatus, anno jam vergente, prius itineri se accingebat. Causa autem hujus tantæ moræ

Legati Poloniī iter ver-
su Gallias.

Parentis ipsius Legati, Alexandri Gasciewski, Palatini Smolensensis, gravis morbus, inde mors erat. Qua comperta, privata pietas eum à publico, ad modicum, divertit. Sed, Butlero supremo Cubiculario Principis veniente, & ea, quæ ab Episcopo Macclovieni acceperat, referente, privato dolore seposito, &, in Parentis locum, è Palatini de Smolensensi, in Palatinum, à Rege Sublevatus, ad Rempublicam denuo se convertit. Adjunctisque sibi, Stanislao de Boginie Rakowski Præposito Pultoviensi, Custode Clecensi, Canonico Plocensi, S. R. Majestatis Secretario, post eorundem Principum, Johannis Casimiri, & Caroli Ferdinandi, Vratislaviensis & Plocensis Episcopi, Cancellario; & Dominico Roncallio Romano, Varmiensi Canonico, Secretario Regio, nunc Vladislai IV, ad Aulam Gallicam, Legato ordinario (qui tamen, certas ob rationes, ab itinere, in Poloniam se recepit) prudentissimis doctissimisque Viris, ut Legationis Secretariis, iter, cum Butlero, versus Galliam suscepit. Et, cum maximo comitatu, è Danisco solvens portu, per mare Balthicum, fævis tunc tempestatibus subito intumescens,

non

tion sine naufragij ipsiusq; vitæ suæ periculo,
Lubecam; inde terra Hamburgum, Bremam,
Embdam, Groeningam, Amstelredamum,
ac demum Hagam Comitis, in Hollandiam
peruenit. Hinc Vlissingam in Zelandiam se
conferre, &, navigiorum beneficio, Cale-
tum in Galliam transfretare, cum Legato
mens esset, Petrum Elerium (qui cum
Butlero, & Bussonetio, è Gallia discessse-
rat, & nunc cum iisdem revertebatur) pro
conducendis navibus, præmisit. Cum ve-
to, inibi Legationis munere defungi volens,
litteras Regias, sueta Cancellariæ formula
conceptas, & Celsorum ac Præpotentium
Dominorum titulo carentes, ambitiosè Or-
dines aversari, per Residentem Regium,
à Præside comperisset; nec ille se longiori
mora prostituere, sed poius, intermissa le-
gatione, progredi decrevisset, repente muta-
ta sententia (Elertio interim à Butlero moni-
to, ut, oportunitate data, Caletum navi-
gans, ad Principem præcurreret, & eundem,
de adventu Legati, suoque, certiorem redde-
ret) per Delphos, Roterodamum, Dordra-
cum, Bergopsumam, Antuerpiam perrexit;

adeoque terra, per Bruxellas & Gandavum,
via ordinaria, in Gallias contendit.

*Elertius Prin
cipem de Ad-
ventu Lega-
ti & Butleri
certiorem
facit.*

Verum enim vero, dum cum magno illo comitatu, ut solet, tardius progrederetur, & Elertius, ut Butlerus jussicerat, secundo vento usus, magno compendio, in Morinis portum Iecium tenuisset, antequam ille Antuerpiam, hic Parisios pervenit. Sed accedendi Principem (quem, sine expressa licentia Cardinalis, nemo adire poterat, difficultate comperta, & Legati tamen & Butleri adventum scire Principem cum anhelaret, ultro Richelium accessit, & se sui Principis Instrumentalem Musicum, ut ex parte verum erat, dicens, quo non nihil, ad horam unam & alteram, recreare eum indulgeret, supplicavit. Quod quidem Cardinalis, nisi se praesente luderet, ut non credidit, ita tamen, cum pronis auribus ludentem audivisset, data schedula, permisit; ea tamen conditione, ut non, nisi presentibus aliis, & Gallicè loqueretur. Sed Elertius, aditu impetrato, facilius reliqua deinde, per occasionem, exequutus est. Quippe Gallis, prima arte & delectatione in attentionem, inde, ut sit, in mutuum sermonem tractis, inter ludendum,

sub-

submissa voce, & adventum Legati, & Butleri supremi Cubicularii sui, & omnia, quæ non ignorare Principem oportere existimabat, insinuavit. Quibus auditis, Princeps, eadem arte, tanquam aliud agendo, adhuc ludenti, discedere denuo ad Legatum, & eundem, suo nomine, ad celerius procedendum, hortari jussit.

Itaque Beloardi, Gallorumque præsentium, vafricie, instrumento musicali verè de-lusa, Elertius Vincenna, sine ulla suspicione, Parisios, inde statim versus Belgium perrexit: &, Legato Peronæ in limitibus invento, cum mandato Principis satisfecisset, adhuc eadem vespera, cum Butlero, Lutetiam recessit. Hanc autem, veredis usi, cum die tertia intrassent, & Butlerus, adventus sui, Principem certiorem reddere anhelaret, nec Elertii persona, sed stratagema, iterum oportunum videretur, fidicine peregrino, (qui quandoque, hora una & altera, recreationi Principis permettebatur) accersito, eundem, ad id obsecquii, promissis invitavit. Et, Elertii exemplo auditio, acquievit fidicen; adeoque, velut ordinario servato, citharizans haud suspectus, ceu voce modulos juvaret, sua lingua cuncta

*Reverfus ad
Legatum,
cum Butlero
Parisios re-
vertitur: &
Butleri stra-
tagema.*

cuncta Principi cantillans, præsentibus etiā, nec intelligentibus, imo etiam arti applau-
dentibus Gallis, gemina delectatione, ad au-
res ejus, & notitiam transmisit. Cum ergo
Butlerus, à fidicine, desiderium Principis, se-
cum colloquendi, perceperisset, & ipse vicis-
sim arcana quædam aperire anhelaret, adeun-
di occasionem & facultatem, licet frustra-
dū, variè quæsivit. Quippe Ministri Regii,
prius cum Legato de liberatione Principis
transfigere, quam de Legato, aut conditioni-
bus liberationis suæ, quicquam audire Prin-
cipem volebant. Tandem tamen, Butlero
referente, prius utique, quam de conditio-
nibus ageretur, an Princeps viveret, sciri
oportere, hac lege aditum ei indulserunt,
ut, præsente Beloardo Custodiæ Principis
Præfecto, lingua Gallicâ uteretur. Sed Butle-
rus, cum ejus se ignarum (Latinè enim, cum
Ministris Regiis, loquebatur) professus esset,
ad extremum, ut Opatscio Nobili Polono,
ejusdem Principis Cubiculario, & linguæ
Gallicæ perito, iinterpretē uti posset, impe-
travit. Quā Ministrorum indulgentia But-
lerus, cum ad utriusq; linguæ gnarum Prin-
cipem venisset, ingeniosè usus, quicquid
scire

scire ejus intererat, alta voce Polonicè referebat, Opatscio interim, non ingeniosè minus, longè diversa, & ad Beloardi placitum, Gallicè velut interpretante. Et sic quidem, aliquanto tempore, non sine singulari voluptate, multa Princeps didicit; donec tandem Beloardus, ex circumstantiis calliditate deprehensa, Butlero, ut in auriculam Opatscio loqueretur, jussit. Et cum Butlerus, nisi quidem reliquum occasionis hujus perire sibi voluisse, necessario ad aliam calliditatem, versus, cautè litteras, quas in eventum scripsérat, inter supervacuas jam susurrationes, ad pedes Principis projecit; ex quibus deinde, quicquid rerum ageretur, Princeps percepit. Cum vero, rara benevolentia, Butlerus, à Beloardo, in prandio, apud Principem, manere permitteretur, præcipuis cimeliis Principis clam potitus, ne (quod moris esse inaudierat) liberatus Princeps, cuncta hæc in arce relinquere cogeretur, Beloardo non adcertente, secum exportavit.

Interim Christophorus Corvinus Gasiewski, Regis Poloniæ Legatus extraordinarius, qui, ut dixi, Anno 1639. jam vergente, è portu Gedanensi solverat, adulta hyeme,

Gonzerij Les-
gati Polonice
ingressus Pa-
risiensis.

Anno 1640, 17. Januarij, ex more, S. Dionysium ingressus est. Ibi cum, ab itineris longinqui nausea, dierum aliquot se mora reficeret, &, pro ingressu Parisiensi, omnia sumptuosius ordinaret, à Stanislao Rakowski Secretario, ut dixi, legationis (qui sua deinde industria, prudentia, dexteritate, bono publico multum profuit) per occasio nem, Cardinalis Richelius, & Residentes ordinarij, legati nomine, salutati. Quibus peractis, omnibusque ad ingressum jam præparatis, die secunda Februarij, D. Virginis Purificationi sacra, hora tertia post meridiem, consueto more, Secretarij Legatorum rhedis magnificis occurebant, &, paulo post, Dominus De Milleroy Marschalcus Gallicus, & armamentarij Regij Præfctus, cum Comite De Brullon, Regis Christianissimi nomine, Legatum excepturus, ad ingressum & rhedam Regiam invitabat. Hanc (ut solennitatis ordinem videamus) primo tibicines rubroholoserico; inde Legati, primæ admissionis, familiares, amictu splendidissimo; post ephebi octo, rubris holosericis, auro argentoque discriminatis, vestibus luxuriantes, equites præcedebant. Ab utro que

que vero latere rhedam Regiam, cui Legatus insidebat, pedisequi sedecim, eodem fere, cum ephebis, habitu & splendore, ambiebant. Succedebant, Reginæ, Gastonis Fratris Christianissimi, Richelij Cardinalis, & ipsius Legati sumptuosissima rheda, ante adventum ejus, ipsius jussu, Lutetiæ parata; quas deinde centum octuaginta Principum, aut primorum Galliæ (in quibus vel Legati, vel ipsorum familiares, æmulo vestium splendore, in ostentationem seu reverentiam, sedebant) sequebantur. Tantus autem erat confluxus hominum, passim campos, suburbia, domos, fenestras, & summa ædium occupantium, ut non, nisi Rupella in ordinem redacta, ad ingressum Regium Triumphantis, fuisse parem, qui Legatum, jussu Christianissimi, deducebant, voce publica mirarentur. Hunc autem Ossolianæ Legationis fama exciverat, cum fuisserint, qui nunc Lutetiæ, ut nuper Romæ, cultu Polono splendidum, ingressum fore, divulgassent. Quare, per labyrinthicas confertæ multitudinis, & rhedarum occurrentium ambages, ægrè eluctatus, fallente, per quandam plateam, diverticulo, luce jam de-

clinante; ad Palatium, extraordinariis Legatis ordinarium, prius Gascevius pervenit.

*Eius Oratio
ad Regem
Christianis-
simum.*

Sic ingressus, diebus aliquot, vel quieti, vel Legatorum invisentium salutationibus, votisque datis, octava Februarij, ab Angulemio Duce, introductoris munere functuro, Regiā & quindecim rhedis aliis, prima luce visitatus, cum eodem, totoque Comitatu suo, ad S. Germanum, ubi tunc Christianissimus agebat, discessit. Ad quem, podagra laborantem, & lectulo affixum, introductus, humanissime exceptus, & lectulo assidere jussus, in hunc modum allocutus est.

Christianissime potentissime Rex.

Non est necesse altius repeterc, quibus benevolentiae vel necessitudinum vinculis, Serenissimus Dominus meus Majestati Vestræ sit adstrictus, & quam nemo vel ardentius cupiat, vel cupidius soleat, iis, Majestatem Vestrarum, officiis demereri, quæ ab amicitia, veteri cultu firma, studiis sancta, nexu sempiterna, jure derivantur. Quorum alterum ita conspicuum est, ut illud illustria seculorum monumenta loquantur; alterius Serenissimus Dominus meus opti-

optimè sibi conscius est, qui traducem, à Divis
Majestatum Vestrarum Majoribus, benevolen-
tiā, constanti & equat voluntate, mutua necessi-
tudinum pignora fraterna superat charitate.
Hoc igitur animo, ea mente præditus, tanto mi-
nus potuit, ex auspiciatis Serenissimi Delphini na-
talibus, intra sinum, gestientis lœtitiae sensum,
sero quidem, sed prolixo comprecantis animi vo-
to, continere, quo majoribus, & uberioribus,
Majestati Vestræ congratulandi causis abun-
dat. Et, communem eam sibi, Serenissimus
Dominus meus, cum Majestate Vesta, volup-
tatem ducens, nihil magis in optatis habet,
quam ut augusta soboles, inter optata, Majestati
Vestræ, solatia crescat, ut, faustis nutrita sub
penetalibus, publicam expleat felicitatem, per
Domesticarumq; laudum exempla, Paterna
Majestatis Vestræ vestigia, felici ad gloriam cur-
su, emuletur. Inter eam prolixorum votorum
faustitatem, acerbus quidam, ex Serenissimi
Principis Casimiri in Gallia detentione, Fraterno
Serenissimi Domini mei animo, doloris & querimo-
niae sensus objicitur. Satis id quidem, ad Ser-
enissimi Domini mei, Regiaeque Domus mero-
rem, molestum acciderat, Serenissimum Prin-
cipem, iis suspicitionibus laborasse, que nec in Re-

giam fortunam, nec in animum Regiae fortunae parem, cadere potuissent, nisi graviores postea molestiarum & asperitatum fluctus (quos sine Majestatis Vestræ, & Ministrorum ejus, se cu contigisse, Serenissimus Dominus meus merito existimat) eum excepissent. Cum vero desideratam Serenissimi Principis libertatem, non tam anxia Serenissimi Domini mei sollicitudo, quam interjecta locorum longinuitas, habetenus tardaverit, ad excelsam Majestatis Vestræ humanitatem pertinebit, invidam temporis moram, facilitoribus, expediendi Serenissimi Principis, rationibus, iniquioris pertinaciam fati, æquioribus, & Regijs natalibus congruentioribus, solacijs compensare. Quorum alterum cum fraterno Serenissimi Domini mei desiderio, (qui me legitimis, ad Christianissimam Majestatem Vestrâ, eo in negotio, instructum misit mandatis) alterum cum publicis votis, & antiquis necessitudinum, & recentiorum officiorum nexibus, præclare consentit.

Ejusdem ad
Regiam.

Hisce cum Rex Christianissimus brevibus respondisset, & pro salutatione, & congratulatione Delphini, gratias egisset, & in reliquo benevolentiam suam Regiam promisisset, præcipuis Legati Aulicis, ad osculum, porre-

orrecta manu, ut eundem, mensam apud Regiam, honorifice tractaret, Angulemio Principi injunxit. Quâ, more Regio, absoluta, ad Reginam pariter introductus, apud eandem, frequenti Gynæco cinctam, legationis suæ munus, hac oratione, quoque depositum.

Christianissima Serenissima Regina.

SEmper equidem Sacra Regia Reginalisque Majestas Domini mei Clementissimi, conjunctissimis studijs, ad demerendam Christianissimæ Majestatis Vestræ benevolentiam, & forvenda Fraternarum necessitudinum vincula, conspirant; sed tum præcipue, cum in optatis, Christianissimæ Majestatis Vestræ, successibus, non longinquæ sed proxima, non aliena sed propria, desideratae prosperitatis solatia recognoscunt. Hæc enim à Divis Majestatum Vestrarum Majoribus, velut hæreditate quadam, ad posteros, charitatis ac bencvolentiae pignora, dimanarunt, quæ non minus sceptra, vel Coronas, Serenissimorum Nominum insignibus, quam avitos recentes quæ nexus, arctissimi sanguinis & amoris gradibus, illustrarunt. Cum igitur suffragantibus bonorum omnium votis, desiderata, Christianissimæ Majestati Vestræ, soboles contigisset, nec Fraternæ ne-

næ necessitudini mutua lœtitia, nec auspicio gra-
 tulationi, præsens significatio potuit defesse. Ut
 vero, pretiosum istud pignus, inter gentilitia sce-
 pträ obolescat, ut in eo slos ætatis, cum maturita-
 te gloriae, contendat; & ut avita paternarum
 Maternarumq; laudum decora, vel æquet, vel
 superet, id Sacra Regia Reginalisq; Majestas,
 Domini mei Clementissimi, Majestati Vestræ:
 conceptis ritè votis, gratulantur. In ea, secun-
 dorum omnium, letissima segete, molesta, Serenif-
 simi Principis Casimiri, calamitas, Sacram Re-
 giam Reginalemq; Majestates, Regiamq; Do-
 num, eo gravius angit, quo majoribus integrita-
 tis ac innocentiae, Serenissimi Principis Casimiri
 causa, constat argumentis. Etsi vero minime Se-
 renissimi Domini mei dubitent, in Serenissimo
 Principe optatæ libertati restituendo, Christia-
 nissimum Regem Regiæ Domus desiderio, publi-
 cisq; votis, cumulatè responsurum, ut tamen Ma-
 jestas Vesta, in id pij laboris officium, Fraternis
 studijs ac suffragijs, incumbere dignetur, suadebit
 pietas, postulabit necessitudo, communis sangu-
 nis, & Regiæ fortunæ nexus, invitabit. Quod
 benevolentia vel officij genus, ijs, Serenissimi Do-
 mini mei, animis excipient, ut inter sanctioris
 amicitiae vincula, vel pretiosa Domus sue pigno-
 ra,

*ra, id Majestatis Vestræ studium ac suffragium,
sint numeraturi.*

Ad hæc tum quidem publicè Regina grātioso vultu, persuos, humanissimè, nonnulla ipsa etiam lingua Gallica respondit: Privatim tamen, quod Legatus, lingue Gallicæ peritissimus; tamen, à tam propinquo sibi sanguine conjunctis, Rege & Regina, salutationem & congratulationem sermone latio potulisset, nonnihil questa fuisse dicitur. Voluerat enim (ut fama retulit) non, ut fieri sæpius consuevit, nudis solennitatibus servatis, audire tantum, & officio defungi, sed charissimorum Principum & Cognatorum, gratissima legatione frui. Verum enimvero, hisce facile, occasione data, à prudentissinio Legato, excusatis, Delphino etiam, Fratre Regis, & Richèlio Cardinale, salutatis, serio de liberatione Principis agi cæptum. Cujus omnis difficultas, cum circa cautionem (ut Galli volebant) debitam versaretur, & hanc sufficientem, de non vindicando, præstari Rex Poloniæ, salva tamen authoritate sua, indulsisset, conclusio in proclivi erat. Sed jam coëuntia vota, novus derepentè nuntius, ad modicum retraxit, &

*Conditiones
liberationis,
cum Legato
concludan-
tur.*

inhibuit. Quippe ordinario veredario, ad Regem Christianissimum, Vladislaum Regem Poloniae, decem millia equitum Polonorum, Ferdinando Cardinali, Hispaniarum Principi, subsidio misisse, & jam Belgio appropinquare, allatum erat. Hinc Chavignius supremus Secretarius Regni, Legatum, Rakowscium, & Butlerum (cum quibus agere, hoc in negotio, ipsi injunctum erat) intuens, *Vos Domini, de liberatione Principis, tractatis, inquit, E nos cautionem, de non vindicando, querimus, cum tamen nunc vel maxime, Regem Poloniae, decem millia equitum, Ferdinandi Cardinali submisso, nuntietur. Quod si ita est, nos certe dimittere Casimirum Principem haud poterimus.* Quibus licet contrarium afferentibus, & suspectum nuntium, non sine offensiuncula, ut inane explodentibus, tamen, addies aliquot, ordinarius tabellarius denuo expectari debuit. Quo nihil horum, è Belgio, adferente, vel confirmante, de cautione deinde facile convenit. Cuiusmodi autem illa, & quibus legibus circumscripta fuerit, candidè fateor me ignorare. Quod si in posterum Fortuna, me nancisci, & hoc opusculum recudi, me vivente,

te, Famæ genius indulserit, eâ lectorem avi-
dum non fraudabo.

Cæterum, obstaculis remotis, & cau-
tione jam à Legato præstata, tandem 25. Fe-
bruarij, Divo Mathiæ sacra, ad Sylvam tan-
dem S. Vincentii, & Johannem Casimirum
Principem, in Donjonensi & quarto suo car-
cere adhuc latitantem, Chavignius supre-
mus Secretarius Regni (qui ordinariam il-
lius Arcis Vincennensis præfecturam gerit)
cum Stanislao Rakowski Secretario Legatio-
nis, & Gothardo Guilielmo Butlero supremo
Cubiculario Principis, Sexigis vectus, sub ve-
speram, processit. Ibidemque cautionem
hanc, jam præconceptam, in charta Principi,
subscribendam obtulit.

Princeps
cautionem
præstat.

NOS Johannes Casimirus, Dei Gratia, Polo-
niae & Sueciae Princeps, universis ac singu-
lis, quorum interest, notum facimus. Quod po-
ste aquam, interposita Serenissimi ac potentissimi
Vladislai IV. Poloniae ac Sueciae Regis, &c. &c.
Fratri Nostri Amantissimi, per Illustrissimum
Christophorum Corvinum Gasciewski Palati-
num Smolensensem, &c. &c ad Christianissimum
Regem extraordinarium Legatum, au^torita-
te Christianissimo Regi Galliarum placuit, ple-

*na Nos libertate restituere, verbo, & fide Prin-
cipis pollicemur, Nos cum ijs, qui contra Galliam,
ac ejus federatos, hostilem gerunt animum, so-
cietatem armorum non inituros, flagrante præ-
senti bello. In quorum fidem, præsentes manu No-
stra subscriptimus, & Sigillo Nostro muniri jussi-
mus. Datum Vincennæ, 25 Februarij, An-
no Domini 1640.*

*Eius libera-
rio & oratio
ad Regem
Gallia,*

Hisce Princeps cum subscriptisset, adhuc eadem vespera, undecimam post noctis horam, cum tenebrae & periculum, concursum otiosorum hominum (quorum ingens ibi numerus) inhibere viderentur, cum tædis & facibus, Vincennâ (ubi iterum sex menses prope integros transegerat) Parisios, ad Palatium Legati, à Chavignio deductus est. Cum vero ad S. Germanum, Rex Christianissimus, cum Regina, & Delphino, adhuc moraretur, eo etiam Princeps invitatus, post dies aliquot, discessit. Quem, octava Martii, tempore matutino, cum accederet, ut est Princeps eloquens & facundus, in hunc fere modum allocutus est.

Rex Christianissime, Domine Cognate,
& Affinis charissime.

Qua

Quia fronte ad Majestatem Vestram venio,
Quia velim animum meum esse, nullius injuria
memorem, sed ut semper, candidum sed sincerum,
auguretur. Nullæ enim apud me latebræ,
nulli abditi recessus unquam; ut nec etiam eo tem-
pore, cum primum Majestatis Vestrae littus pres-
si. Hic vultus, hæc innocentia, sed hic candor, ut
à nat alibus, sic ex Polonia discedentem, per Ger-
maniam, per Italiam, in triremem, sed ubique co-
mitatus, etiam ex Hispania, per Pyreneos, in hanc
Galliam, ante Majestatis Vestrae faciem, detu-
lisset. Nunc, cum alia via sed ratione venerim,
per ambages minus gratas, per abrupta, scopulos,
diversoria, sed hospites invisos, in eadem sua sta-
tione tamen manet animus, sed hunc errorem neu-
tiquam Majestati Vestrae, sed malis consultoribus
ascritbit. Deus, qui, ut innocentiae meæ testis,
sic delinquentium justus vindicta, illis, qui Majes-
tatis Vestrae mentem, à sede regia, à cognatione,
ab amicitia, sed ingenita clementia, in rigorem il-
lam, sed hæc atrocias, seduxerunt, retribuat. No-
vi enim, optimum, naturæ illius optimæ, Majes-
tatis Vestrae genium (quo jam olim Justissimi,
Christianissimi titulo, sociavit) à recto tramite,
ultra non deviare. Adeoque, procil odio sed su-
spicione, hanc Majestatis Vestrae dexteram, ut

in son tem, ipse omni affectu sequiori vacans, ut
Cognatus & Affinis, amplector venerorque. Et,
ut semper, ita porro, hunc cognationis Nostræ,
Affinitatis, & amicitiae candorem, velut illibatum,
optima & simplicissima concordia & unitati-
tis conciliatrix pariter & altria, mutua innocen-
tia conservabit:

Cum eo præ-
dium sumit. Ludovicus Rex ad hæc respondere, &
se, & præterita, excusare cœpit, sed, ebullienti-
bus paulatim lachrymulis, impeditus, tan-
dem sermonem omnem vix non pio fletu
sepelivit. Quæ luculenta compassio Regis
facit, ut omnino mihi persuadeam, verè eum,
suapte natura, ad sœviora illa in Principem,
non declinasse, sed aliorum potius, & unius
maxime, tractum esse. Quomodo enim il-
le, sua sponte, phalarismos jubeat, qui, ad eo-
rum memoriam, in lachrymas alteratur? Nul-
lus video; ubi saltem syncerus animus, qui de
Regibus & Principibus semper præsumen-
dus est. Cæterum Casimirus Princeps, à
Christianissimo ad prandium invitatus, ab
eo, ad Reginam, & Delphinum, more solito,
divertit. Quibus salutatis, &, post ser-
mones, ultro citroque, humanissimos, reli-
ctis, cum Rege triclinium ingressus, ab eo,
habi-

habita ratione Majestatis, paululum semo-
tus, iisdem tamen cibis & officialibus inser-
vientibus, assedit. Quæ vero deinde inter
utrumque cæremoniæ, qui sermones fue-
rint, quoniam me latet, hoc Regale pran-
dium brevibus absolvō, & cum Principe
Ruellam prius, inde Parisios discedo.

Rex enim abeunti Principi, ut Cardina-
lem, cuius domicilium in via esset, visitaret
suaserat: Quod & ipsum omnino facien-
dum Magnates Gallici, qui Principem, ve-
luti honoris gratia, comitabantur, identidem
monebant. Princeps autem, quomodo,
authoritate salva, ipse hospes Regij Sangui-
nis, Cardinalem, qui ne dexteram quidem
sibi forte oblaturus esset, invisere prior pos-
set, se non videre, respondit. Iis autem
perseverantibus, & illi, ut Cardinali, & su-
premo Gallicarum rerum arbitro, non aliter
sieri oportere, ingerentibus, & paulo am-
plius etiam quam suadentibus, hoc dicto
Princeps breviter se absolvit. *Si etiamnum, ut
captivus, cogar, quid faciendum, certè mei ju-
ris nunquam facerem.* Et ita Ruellæ, ad Pa-
llatum Cardinalis, descendens, statim, quod
timuerat, expertus est. Cardinalis enim,
obviam

*Cardinalem
coactus prior
visitat.*

obviam illi veniens, artificio mox aulicismo, cum protestatione tamen Principis, ejus dexteram occupavit, &, nonnihil collocuti, eodem aulicismo, indignantem Principem reduxit.

*Fratrem Christianissimi
visuare prior
recusat.*

Cum deinde, eadem Vespera, Parisios intrasset, ut, sequenti die, Gastonem Ducem Aurelianensem Fratrem Christianissimi, pariter adiret, iidem Magnates Gallici suadebant: Sed tum Princeps, nondum planè, è Cardinalis ambitione, offensi uncula decocta; an omnino liber, nec amplius captivus esset, interrogavit; quibus affirmantibus, quod Cardinali feci, coactus feci, inquit, nunc autem cum me liberum, meique juris esse profitecamini, non prior ego Fratrem Christianissimi, sed me, ut hospitem, prius visitet; cui dexteram, solenni more, in hospitio meo concedam, in illius occupabo. Objicienti vero, per suos, Aurelianensi Principi, se Primogeniti Ecclesiae, Christianissimi, & hereditarij Regis Fratrem & Filium esse: Se non minus Propugnatoris Europæ, & totius Christianitatis, Fratrem & Filium esse; quibus, aliis occasionibus, hereditarij Hispaniæ Principes, &, non ita pridem adhuc, Medionali, Alexandro juniori suo

suo Fratri, Ferdinandus Cardinalis Hispaniarum Infans, aliique Principes Serenissimi, dexteram obtulissent, respondit. Et, si omnino Hæreditate præsumeret, se non minus Sueciæ, quam Poloniæ, Principem esse; propiorem etiam Coronæ, cum Rex Christianissimus jam Delphinum haberet; adeoq; in durum Vincennæ carcerem, imo vilissimum Cisteronensem, quam dignitatis prostitutionem, malle deflectere. De loco tertio postea, quibusdam intervenientibus, agi cæptum: Sed Princeps, cum ordinarij modi non succederent, penitus recusavit; nec unquam, licet quatuor adhuc fere septimanis Lutetiæ moraretur, Duci Aurelianensi locutus est. Rex autem, quatuor illis septimanis (cum alias, toto captivitatis suæ tempore, se suosque Princeps, immani sumptu, aere debuerit) libera mensa, & Legatum Regium diebus octo cohonestavit.

Quo tempore (rem enim memorabilem non omittere visum est) homo Melitensis, mediocris statuæ, Principem accedens, seu stupendo dolo, seu arcano, vel arte vel industria mirabilem ostentavit. Quippe, petita venia, aquam limpidam adferri jubes,

Mira de quo.
dam Meli-
tensi

bens, crebro haustā, dextera pectori applicata, quicquid ciborum prandio sumpserat, salvis auribus, in partem vomuit. Ethoc toties, donec tandem, stomacho diluto, eadem, quā potaverat, puritate, aquam, minus tædioso vomitu, remetiretur. Inde rarus, aquæ scypho largius epoto, omnium circumstantium, visus & olfactus, imo gustus etiam, qui non dedignarentur, teneritudine supplicata, rogavit Principem, quale vinum ore promere juberet; quo, quale vellet, innuente, mox, plenis buccis, Pucinum, Falernum, Creticum, Hispanum, Tholosanum, qualecunq; Gallicum, & Rhennense, successivè: Inde simul, uno ore, sed buccis singulis, dulce & acutum, lene & austrum, vetus & novum, album & rubrum, cujuscunque demum generis & coloris, in Christiano & infideli orbe, legitur bibiturque, duobus velut rivulis, dextera levaque, sparsit. Inerat singulis odor suis, sua virtus, qualitasq; sua; quod è rosarū aqua fragrantissima, & cremato, ceu adusto vino, quod, sudario exceptum, sine læsione linteī, cum stupore omnium exarsit, liquidius apparebat. Et, ne illicita magia, vel necromantia, eum quis-

quispiam usum putet, idem etiam deinde coram Rege Christianissimo, & Richelio Cardinale fecit, & modum quoque, iis quærentibus, manifestans, sicutum evicit. Princeps ergo hominem, aliquot Coronatis Gallicis donatum, à se dimisit.

Inter hæc Gascievius Legatus, Regi, Reginæ, post etiam Richelio Cardinali, pro eliberato Principe, & omni benevolentia, gratias acturus, ad S. Germanum discessit. A quibus omnib' honorificè suscepimus, à Rege etiam, per Comitem de Brûlon, raro munere, tringinta florenorum millibus aestimato, & hisce litteris, ad Majestatem suam Regem Poloniæ, dimissus est.

Rex Serenissime Potentissime, Domine Congnate & Affinis Noster Charissime.

MAgno cum voluptatis nostræ sensu, Domum Christophorum Corvinum Gasciewski, Palatinum Smolensensem, Legatum à Vobis extraordinariè mandatum, conspeximus: Et ea, quæ Nobis, nomine Vestro, detulit, ita grata- ter excepimus, ut in Charissimo Fratre Nostro Principe Casimiro, plena libertati restituendo, solidum gaudium hauserimus. Et cum in eō genere votorum Nostrorum fructum perceperimus,

Legatus, pre
eliberato
Principe
Christianissi-
mo gratias
agit. & hu-
ijs in eum
benevolen-
tia.

certo jam sit persuasa Majestas Vestra, mutuum ad Nos, in liberato Charissimo Fratre Nostro Principe Casimiro, l^aetitiae sensum redundasse, nec vulgarius expertos esse, cum ejus desiderato frueremur aspectu; cui, pro viribus nostris, Cognati affectus, non obscura testati sumus argumen- ta. Ceterum per omnes occasiones admitemur, ut sinceris ac prolixis, studiorum & officiorum Nostrorum, erga Majestatem Vestrarum, nexibus defungamur. Porro Dominus Gascienski ita o- mnes Legationis numeros implevit, ut & totius Aulæ suffragium, Nostrumq; testimonium, jure sit promeritus; cui ut singularem, Majestas Vestra, vel intuitu Nostro, favorem impendat, majorem in modum postulamus. Deumque precamur, ut Majestatem Vestrarum, in glorioſa Cœlestis providentia tutela, jugiter conservet. Apud S. Germanum, XII. Mensis Martij. An- no Domini M. DC. XL.

**Testimonium
Reginae.**

Ad eundem Legatum Reginæ benevo- lentia quoque se extendit, &, post multa singularis gratiæ argumenta, hisce etiam, ad eandem Majestatem Regem Poloniæ litteris prosecuta est.

Serenissime Potentissime Rex, Domine Co- gnate & Affinis Noster Charissime.

Ea

EA benevolentiae argumenta, q[uod] Dominus
Christophorus Corvinus Gasciewski, Palati-
nus Smolensensis, Legatus extraordinarius;
per litteras Majestatis Vestrae Nobis exhibitas,
abunde declaravit, eo gratiora Nobis exsile-
runt, quo strictior est amicitiae Nostrae nexus; &
quo sincerius in eam incumbimus curam, ut Ma-
jestati Vestra singularia, per omnes occasiones,
affectus Nostrorum prebeamus argumenta. Id enim
& intimus animi Nostrum sensus, & concepta, de
Heroicis Majestatis Vestrae virtutibus, existima-
tio, tum & optatus, Charissimi Fratris Nostrum
Serenissimi Casimiri Principis, obtutus, jure suo
poscit; cuius eximiæ dotes Regiis claræ natali-
bus, majorem affectus & laetitiam Nostræ meren-
tur expressionem. Ille igitur melius ac prolixius o-
mnia Majestati Vestre deferet. Nobis vero suf-
ficiet ius amoris ac desiderij, quo erga Majesta-
tem Vestram perpetuo ferimur, officiis defungi.
Id quoque Majestati Vestrae reddimus testatum,
Dominum Legatum extraordinarium, omnes,
in ea functione, boni & solertis Legati numeros
implevisse; qui uberioris quoque Nostram, Majesta-
ti Vestrae, benevolentiam aperiet ac confirmabit.
Apud S. Germanum, XII. Mensis Martij, An-
no Domini M. DC. XL.

Cum

Princeps Re-
gi Regnoque
Gallia vale-
dicit.

Cum vero jam & Casimiro Principi, re-
visendæ patriæ, suorumq; desiderium venis-
set, Regi, Reginæ, Delphino, ad S. Germa-
num, 26. Martij, ipse oretenus, per suos, aliis
valedixit. Cui quidem Rex præsentî annu-
lum, cum adamante, multis florenorum mil-
libus æstimato, proprio digito detractum,
ceu Mnemosynon, aut memoriale, donavit:
per Chavignum vero supremum Secreta-
rium Regni, pilei, seu galeri, vinculum, mul-
tis adamantibus pretiosissimum, in Hospi-
tium transmisit. Princeps vicissim Regis Au-
licis suo obsequio destinatis, & præsertim
Commissariis, munera, & suæ, & eorum, di-
gnitati convenientia, aliquot etiam floreno-
rum millibus æstimata, distribuit; &, fatali
quodam Superum decreto, potissima trien-
nisi quod destinaverat peregrinationi, par-
te, in totidem carceribus (quartus enim non
nisi quinque dierum fuit) propemodum ex-
acto, à Rege, Lutetia, & Regno Galliæ, cum
Gascevio, discessit.

Magnifice à
Cardinale
Hisp. Princi-
pe Bruxellis
exsipitus.

Ad hujus fines cum à Præfecto Peronen-
si, ducentorum equitum præsidio, deducere-
tur, à Comite Fuensaldanæ, Cameracensis
urbis Gubernatore, & supremo tormento-
rum

rum in Belgio Præfecto, jussu Cardinalis Hispaniarum Principis, cum magno Nobilium & equitum Comitatatu, exceptus, festivis machinarum explosionibus, 31 Martii, Camera-cum introductus est. Ibinocte una transacta, sequenti mane, ab eodem Comite & Præfeto Cameracensi, toto in itinere Regium in morem habitus, Bruxellas versus deducebatur. Cui urbi cum appropinquaret, milliari tamen medio adhuc abesset, à Ferdinando Cardinale Regis Hispaniarum Fratre, Principibus, Comitibus, tota Aula, & millib⁹ aliquot hominum stipato, sub dios salutatus, ascensa rheda, ad ejus dexteram, sine ulla controversia, acceptus, congratulantibus etiam tormentis bellicis, ab eodem, in urbem, in palatium, & hujus præcipuum conclave (quod olim etiam Vladislaus Frater, præsentia sua, magnus hospes impleverat) deductus est. Gascievio Legato Regio, cum Secretario legationis Stanislao Rakowscio, in parte palatii supra portam, Butlero supremo Cubiculario ponè Principem; reliquo deinde Principis & Legati comitatui, in laxa domo, è regione palatii, commoratio assignata. Quatuordecim dies ad minimum petenti, Ferdinand⁹

nando Cardinali, ejus desiderio, & deinde magnificentiae Regalis pompa, & continuo velut triumpho dati. Quicquid enim honorum quondam in Vladislaum Fratrem, tunc in Principem congregatum. Nam & tessa militaris, quavis vespera, ore ejus promi, & quoscunque reos, intercessione, reddere libertati placuit.

*Cardinali
valedicit, &
im Poloniam
reveritur.*

Quoniam autem nullius ferè rei, quam profusæ voluptatis, & deliciarum (quarum excessus æquè ac defectus displicet) tedium prius venit, Princeps Cardinali, postridie discessurus, pridie valedixit. A quo, sex equis generosissimis, peristromatibus, phaleris, & requisitis omnibus regaliter ornatis, avibus etiam, & canibus venaticis (cum quibus omnibus Elertius, per Oceanum & mare Balthicum, in Poloniam præmissus est) dominatus, transacta nocte, crepusculo matutino, 17 Aprilis, incognitus discessit; &, per Antuerpiam, fœderatum Belgium, & Frisiā Orientalem, Hamburgum & Lubecam, terrestri itinere, perrexit. Hinc, prono cælo, salo, vento, Codano sinu transfretato, triginta die Maij, patrium Gedanensem portum; inde, Legato tardius subsequente, ut adventus

tus sui famam perveniret, veredius usus, quinta Junij, tempore Comitiorum, Varlaviam & Palatium Fraternum, ceu fidissimam stationem, post summam illam, tot tamque diversarum rerum, tempestatem, feliciter ingressus est.

Verum enim vero Baro Carolus D^r Avagour, Legatus Gallicus, Dantisco Principem mox sequebatur, &, iisdem in Comitiis, 15. Junii, illam Christianissimi Regis, ad S. Germanum, & Lutetiae Parisiorum, exhibitam Serenissimo Principi benevolentiam reffendo, Regis Domini sui nomine, perfectam eorum, quæ in Galliis à Legato Regio, transacta erant, observationem; tum & veterem & sinceram iterum, inter Galliæ & Poloniæ Reges & Regna, amicitiam animorumque conjunctionem, quæ, ratione hujus Principi, non nihil scandali passa videbatur, hisce subsequentibus, requirebat.
Serenissime potentissime Rex: Reverendissimi, Illustrissimi, Magnifici, Generosi Domini.

SI Nobilissimo huic Poloniae Regno jugiter admittere placuit, singularia Regis Christianissimi, Domini mei Clementissimi, benevolentia

Legatus Gallicus sequitur, & hujus ad Regem Pol. & Rem. publ. eratio.

argumenta, haud injuria mihi persuadeo, præsens
locum etiam habiturum quod vota & desideria
Nostra præcipue concernit. Ad hoc enim potis-
simum, Rex Christianissimus, Dominus meus
Clementissimus, huc me ablegavit, ut Sacrae
Regiae Majestati Vestræ, & splendidissimo
huic Conventui, ejus nomine, salutem & officia
deferam, & affectum illum, quo Divorum præde-
cessorum suorum, Regum, Regnique Galliæ, cum
Majestate Vestræ, & Inlyta Polona Republica,
animorum conjunctionem, & mutuam amicitiam
tenerrimè fovere desiderat, declarerit, & solen-
nibus hisce in comitijs, publicè testatum faciam.
Quamvis autem, è casu illo Serenissimi Principis
Casimiri, ad primum ejus nuntium, prima quoq;
facie, multis sensisse aliter (quod totum Majestas
sua Rex Christianissimus, zelo eorum & amoris
erga Majestatem Vestræ, Domumque ejus Re-
giam, jure tribuit) videantur, nunc tamè penitus
considerantes, qualem se Rex Christianissimus, co-
in negotio, exhibuerit; quam candidè, ad primam
Majestatis Vestræ requisitionem, quid desidera-
ret, aperuerit; quamque promptè (ut primum ei
satisfactum fuit) cundem Principem libertati
restituerit, honorificè excepere, & non sine alijs
etiam veri amoris documentis, amplexus fuerit,
fatean-

fateantur necesse est, Regem Christianissimum
Dominum meum Clementissimum, Majestatem
Vestram, Domum Regiam, fortissimamque Po-
lonam Gentem, sincero animo religiosè complecti.
Quantum autem Rex Christianissimus Dominus
meus Clementissimus, Serenissimo Principi Cas-
miro, quantum eminentibus ejus virtutibus,
quantum Regijs moribus tribuat, dotes aestimet,
ut eloqui mihi impossibile sic disertè asseverare
possum, cum in omnibus expectationi Regiae re-
spondisse, in omnibus satisfecisse. Et, si magna il-
li propensioni vicissim exactèq; ut. Majestas sua
Dominus meus Clementissimus confidit, respon-
deatur, perfectius adhuc in posterum cognoscetis,
haud parum, Seren: Cels. suam, in Gallijs acqui-
sivisse. Addo præterea, gratam pariter Ego acce-
ptam, Christianissimo Regi Dominio Meo Cle-
mentissimo, Illustrissimi Domini Gasziewski, Le-
gationem fuisse, ut qui eâ, Ego ijs etiam, quæ in
Gallia tractavit, summa prudentia, dignitate,
Ego splendore defunctus est; quorum exactam, à
parte Polona, Majestas sua Dominus meus Cle-
mentissimus, sibi pollicetur observationem. Per-
suadet etiam sibi Rex Christianissimus, Majesta-
tem Vestram, Inclytamq; hanc Rempublicam, nis
permissuram, quod quoquo modo pactis inducia-

rum, quæ, ipsius intentu, inter Regna Poloniae & Sueciae, fuere sancta, possit esse præjudicio. Imo & rationi, reique ipsi, consentaneum arbitratur, si de ijs, quæ ari è hac in Livonia contigerunt, plenè Suecia edoceatur; ut certa scilicet esse possit, nihil ejusmodi, in posterum, amplius eventurum: Atque hæc sunt, quæ, iussu Regis Christianissimi Domini mei Clementissimi, in augustissimo hoc confessu, breviter exponere, in praesentiarum, debui; qui, ut me mandatis quoque suis dignetur, avidè expeto, & exspecto: Meque, de reliquo, S. R. Majestatis Vestræ, Reverendissimarum, Illustrissimarum, Illustrium, Magnificarum, Generosarum Dominationum Vestrarum, favori & gratia, solicite commendo:

*Responsio
Principiū
Ossolinij.* Huic Georgius Dux in Ossolin, Comes in Theczyn, S. R. J. Princeps, nunc supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Dux, vel Orbe judice, non facundia minus, quam rerum experientia, & judicio Magnus, S. R. Majestatis, totiusque Reipublicæ nomine, hisce brevibus respondit.

EA semper fuit Divorum Polonie Regum, præsertim vero S. R. M. Domini Nostri Clementissimi, cum Regia Galliarum Domo, animorum coniunctio, tam celebris inclytæ hujus Gentis, cum ipsis

ipsis Gallis. Sympathia, ut, quamvis nulla intercedat vicinitas, nec crebra, aut gravioris alicujus momenti, stringant commercia, communia tamen Sceptra Reges, commune solum & Patriam Gentes arbitrarentur. Auxit hanc mutui affectus benevolentiam, grata, minimorum officiorum, Polonia, cum, post extinctam, non intermorituram in pectoribus fidis subditorum, Jagellonicæ stirpis masculam Sobolem, inter tot procos & candidatos, qui adeo claris succederent Regibus, ex una petendum Gallia judicavit. Occulta non minus quam sinistra fatrum mutatio: quod hoc toto biennio, tam arcta vincula, & ipsis sacris sanctiora fædera rumpere conata, sensit firmiora fuisse, quam ut, vel hoc gravi Regij sanguinis casu, lædi potuerint. Abolevit omnem, acerbioris sensus, memoria, redditus, S. R. Majestati Domino Nostro Clementissimo, desideratissimi Fratris; porro & universis Ordinibus Regni, diu votis expectati Principis conspectus; quem, asperi Cisterronis horrido vertice penè sepultum, inter sua Sacaria renatum, Regij Penates, & Status Regni, impensè gratulantur. Renascitur protinus, antiqua Regum, & Gentium nostrarum, benevolentia; emicat vetus amicitia, quam Sa-

cra Regia Majestas Dominus Noster Clementissimus, una cum Ordinibus Regni, sacrosancte colore vult, salvus ē illæsis vicinorum Regnum Principumque fæderibus. Hec nova veteris amoris auspicia, deferet Dominus Baro, Christianissimo Galliarum Regi, eumque, de optima, Sacrae Regæ Majestatis Domini Nostri Clementissimi, mente, Fraterno affectu, ac benevolâ Ordinum observantia, reddet securum; cui fidem facient literæ Cancellaria tradendæ. Porro ipsi Domino Baroni, ipsa Sacra Regia Majestas, gratiam suam Regiam, munificentissimè pollicetur, ē ad osculandam hanc dexteram, quæ sola, Christiani innoxia sanguinis, barbaricas duntaxat gerit ē serit palmas, clementissimè admittit.

Ad hanc Magni Regis triumphalem dextram, ad hoc osculum, quod Reges denuo, quod Regna jungit, pariter inclinans, pono calamum, &, post præsentem præpotentium Regnorum, reconciliationem, ulterius nil præsumens, carceris hujus Gallici finem facio; cuius judicium esto penes Lectorem.

FINIS.



Errata, quæ paucula irrepserunt,
corrigē.


Pagina	Linea	ege.	Carpatiis
22.	22.	effet.	
27.	22.	recreato	
29.	15.	agasoni	
52.	7.	Gubernator	
126.	6.	gentilibus	
131.	12.	legationis	
136.	ultima.	Fratrem	
137.	19.	fidum	
149.	7.	ascensus	
179.	19.	blanditiis	
180.	22.	fuosqu	
206.	2.	oppidulum	
216.	24.	Bernardus	
225.	21.	advertente	
eadem	23.	Gasciewski	
246	20.	exacta.	





1tabl.

24 XI 2005.

D.J.







147
R. Valentini Segregij de Quadiis
venerabatur a Dño rum milium et quadring
centorum capitum populi et hoc regnum p
er suam levat regal quo vero ad regnum
coronis in pleno rebore resurrexit
in Castro Populi Sena de Quadiis quod distare
Ab anno MCCCCLXII dicitur anno domini MCCLXII
et gloriatur Nonas primi quinti

in Schlosswile fuit ubi Magne facti Reges
de Regno Vixit deo stora Regis. Nam dicitur
bchi Confessio fuit fons fons. Cuiusque et apud eum
fuit ubi ubi dicitur. Reliccius a Regis et parvus
superiorum fuit de fratre eiusdem Andreae huius
et cum sonis fuit fuit fuit fuit fuit fuit fuit fuit fuit fuit

